44537/B

H XXIX a
18

AA 2660

pp 1-168 ...
pp 169-182 ...
2 plates

128

XVII

10264

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30514630

51839

FRANCISCI RONCALLI
Philoſophiæ, & Medicinæ
Doctoris

EXERCITATIO
MEDICO-CHIRURGICA
AGENS
NOVAM METHODUM
Extirpandi Carunculas, &
curandi Fiſtulas
Urethræ.

BRIXIÆ, M.DCC.XX.

Typis Jo: Mariæ Ricciardi,
Superiorum permiſſu.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

Illmõ, & Excellmõ Domino
MARCO ANTONIO
S A L A
NOB. BRIX. ET PRO SERENISS.
VENETORUM REPUBL.
GENERALI.

FRANCISCUS RONCALLUS FELICITATEM

SI *Ariſtogenes Thaſius ad bellicoſum Macedoniæ Regem Antigonum, ſi Aſclepiades Pompei*

Magni Familiaris ad Mitridatem ſuos de Medicina libros, atque complura volumina conſcripſerunt, mirum non erit, Illm̃e, ac Excellm̃e Domine, ſi Tuo Præclariſſimo Laureato Nomini hoc meum præcox, qualecumque ſit, Medicum opus devoveam. Veteres illi Græciæ Populi, quorum Provincias Victorijs uſque ab ineunte adoleſcentia peragraſti, Apollinem, qui primus Medicinæ uſum attulit, & ob eam cauſam Apotheoſim promeruit, non modò Medicæ Facultati Præſidem, verùm etiam arcu, & ſagittis armatum venerabantur, & depoſcebant. Cur igitur & mihi non liceat Te optimarum Artium

Mæce-

Mecenatem Ampliſſimum ſimul, ac Odriſij Draconis acerrimum Hoſtem, ac ſtrenuiſſimum Triumphatorem huic operi Præſidem invocare? Domuit Pithonem Apollo, ejuſque Triumphis hymnos tota penitùs Græcia concinuit:

Phæbeo Domitus Python cum decidit arcu,
Membraque Cirrhæo fudit anhela jugo:
Omnis, Io Pęan, Regio ſonat; omnia Phębum
Rura canunt. Tripodas plenior aura rotat.

Claud. lib. 1. in Ruff.

Tuiſque Triumphis non modò Græcia, Illiricum, Epirus, Peloponneſus, & Arcipelagus latè plaudunt, ſed etiam Regia Veneti Senatus Munificentia per omnes honorum gradus ad Generalitiam Pugnæ Præfecturam evecto dignitatem auxit, & pręmia. Te Supremi Venetæ Reipubl. vel

* 4 Claſsis

Claſſis Præfecti, ac Duces Sereniſſimi. Te Maximilianus Princeps de Branſuich, Te Adamus Enricus de Stenau, ac Matt. Joh: de Sculenburg præſertim in recentiſſima Corcyrenſi propugnatione, Te Senatus Elogia, Te Ducalia Diplomata, & Conſtantia, & Fide, & Militari Scientia Pereximium concelebrarunt, Tuumque in Reip. Negotijs laborem, in periculis fortitudinem, in conficiendo celeritatem, in providendo Conſilium teſtantur. Tibi Brixia, quæ Veneto è Littore primævo Ætatis flore ſolventi Patrijs votis ſolemnia Celeuſmata cecinit, toties reduci poſt peractas expeditiones, & Cydonis,

&

& Mitylene, & Argorum, & Tenedi, & Andros, & Chios, & Epidauri, atque Chalcidis, ubi præcipuè hoſtili plumbo læſum Caput, non Mens, quæ ſemper eadem, Epicinium admodulata gratulabatur. Eadem Te Civem ſuum excepit Palmis onuſtum, & Gloria, quæ licet à Majoribus Tuis, & Sago, & Toga comendatiſſimis derivata hæreditario ſplendore Te, Tuamque Familiam illuminaverit, attamen in Te præcipuo quodam fato collecta ipſis rependiſſe decus, eorumque promerita coequaſſe videtur. Quid plura? Te ſuiſmet oculis vidit inter exterarum gentium arma Patriæ, ac Reip. ſaluti, ac

maje-

majeſtati conſulere, præcipuè cum in Brixienſi Agro Clarenſis Oppidi præſidium, & mœnia Tuæ Fidei concredita tàm inuſitata prudentia cuſtodiviſti, ut inter ingruentia alterutrimque tela Pacis periclitantis decus, & commiſſæ Provinciæ incolumitatem ſervaveris. Modò Te Patria fruitur, & quem omnium vota Victorem in prælijs, in Pace Glorioſiſſimum expetebant, nunc lætabundi Cives adſpiciunt, nunc Affines, & Conſanguinei complectuntur, & Clientum catervæ certatim ſuis venerantur obſequijs. Mihi pariter inter cęteros dulci quodam fato conceſſum eſt, ut optatiſſimum diù reditum

gratu-

gratularer, & præclariſſimas Tuoque dignas Animo dotes ſuſpiciens me Tibi penitùs obſequentiſſimè devoverem. Hodierna verò die ſolemni quodam gaudio mihi lætandum eſſe videtur, dum humaniſsimo, quo excellis, Vultu Primogenitum juvenilis ingenij mei fętum intueris, & excipis, quem Ampliſsimi Tui Nominis initiatum auſpicijs in litterarum Theatrum expono. Te igitur Auſpice prodeat, ac ſi difficillimis Bellis Venetas oras invicto Marte ab Othomanis enſibus propugnaſti, minimè dubito, quin hunc libellum, qui à Tuo Nomine pretium ſumet, ab expungentibus imperitorum novaculis

in

in Pacis otio defendas. Interim Patriæ, Reip. ac Religioni perenni felicitate diù vivas.

Dat. Brixiæ 10. Febr. 1720.

AD LECTOREM.

QUemadmodùm elapſis jam ſæculis non defuere, qui de modicis rebus libros, atque volumina ſcripſerunt, ut Themiſon de Plantagine, Marcion de Raphano, Hippocrates de laudibus Ptiſanæ, de Lipſimachia Eraſiſtratus, de Bulbis Pytagoras, de Braſſica Chryſippus, de Urtica Phyſicus Phanias, & Anonymos herba ab Iceſio Medico celebrata fuit; Ita, candide lector, ne caperes ſupercilium, ſi vix juvenilem ætatem ingreſſus in litterarium Theatrum, & ipſe irrepere videar, ut de Syringa verniculari libellum Edam. Modica res fortaßе videbitur, ſi exiguum opus perpendas. Verùm, ſi novam hanc eße Methodum ad Carunculas, & Fiſtulas Urethræ faciliori negotio, ac ſuavitate curandas animadverteris, minimè dubito

bito quin humaniſſimè probes Inventum, quod Deo Opt: Max: illuſtrante mihi videor reperiſſe. Premiſſis igitur de Carunculis Hiſtoria, & Fiſtulis tractatu, Vermicularem Syringam propono, utilitatem oſtendo, litteris, & Figuris deſcribo, Praxim indico, rationes affero, objectis reſpondeo, experimenta non omitto. Parcant obſecro, Eruditiſſimi Profeſſores juvenili adhuc ingenio, quod eos non docere, ſed conſulere, ac venerari gloriatur. Tuque, Benigne Lector, æqui, bonique conſule Auctoris votum, qui tibi non uſum Syringæ, ſed perennem incolumitatem auguratur. Vale.

Supervacuus foret in ſtudiis longus labor, ſi nihil liceret melius invenire Præteritis

Quint. Lib. 3. Rhet. Inſtitut.

OBSERVATIO HISTORICA DE

Carunculis in Urethra, Fiſtula Urinæ in Perinæo, & Febri Gallica habituali feliciter curata in Illmo, & Excmo N. N.

CUm infelix Humanæ Naturæ conditio ex ſuccidaneo Adami ſemine innumeros infauſta hęreditate morbos contraxerit, ex hac turba nonnulli aliquando Morbi Phyſicis, & Chirurgicis curis occurrunt, quibus jam jam naſcentibus niſi Manum auxiliariam præbueris, invaleſcunt, & ſerò Medicina paratur. Nonnulli pariter emergunt, quorum illicò notis principiis obſtatur, eorumque malitia poſſet in cunabilis fauſto Apolline ſuffocari: Veruntamen, cum Patiens in diverſa diſtractus Medicis Le-

gibus ritè obtemperare non valeat, clandeſtinum neglecti Morbi virus in dies ingraveſcit ita, ut non niſi temporis, & eximiæ patientiæ beneficio poſſit eradicari. Hoc enim verò fuit fatum Illuſtriſs. & Excellentiſs. N. N. qui primo ebullientis ætatis fervore inter Martis Caſtra Veneris lenociniis illectus, ea, qua ſolent peccare Reges, infirmitate [ut ſcripſit Ambroſius de Apolog. David] Morbum contraxit. Cui vix nato facile negotium erat conſulere, atque radices penitùs evellere; Sed cum in Peloponneſi expeditionibus adverſus Arabes neglecta ſui Morbi cura, aſſiduis fractus laboribus terra, marique ſuperatis, ſuę ſalutis immemor, Reipub. ac Religioni ſuam incolumitatem, Vitamque devoviſſet, contumax Malum adeò ſuperbas vires exeruit, ut ad illius curationem diù fuerit laborandum. Morbus fuit Gonorrhæa, quæ tractu temporis exulcerato Meatu Urinario

anſam

anſam præbuit carnoſis Excreſcentiis cum quadam veluti Stranguria ſe manifeſtantibus. Emicuit prima in medio Glandis parenchymate, parum diſtans ab externo Urethræ orificio, vel quia in parva foveola in fundo canalis latitante ſequeſtraretur materia virulenta, vel quia facta majori preſſione à fibroſa Glandis ſtructura liquido ſanioſo excurrenti, ſublata exili Urethræ Cuticula paulatim Caruncula in aliqualem magnitudinem excreverit. Cognita primùm fuit ex tortuoſo, & bifurcato Urinæ effluxu, cum torminoſa ad mingendum difficultate, quæ facilè tollebatur media truſione Catheteris, vel cereæ Candelæ in Meatum Urinarium ad proportionatam Canalis dilatationem, pro Urinæ neceſſario effluxu.

Morbi pertinaciam auxerunt errores in dięta à militari Vita indiviſi, unde aucta corruptiva inquinatione in proſtratis glanduloſis ſeminalem liquorem

elaborantibus, continuò fluebat per Urethram virulentus ichor, qui gallica ulcuſcula per totum Meatum diſſeminavit; Quapropter irritatis ex corroſione Fibris oblungis, & circularibus interiorem Urethræ tunicam conſtituentibus, atroces promanarunt cruciatus, qui mejendi occaſione ab Urinæ ſalibus magis exaſperabantur; Præcipua tamen doloris ſenſatio circa radicem Penis vigebat, propter continuationem proſtatarum, & veſſicularum ſeminalium, quò venerei fermenti activitas in acido corroſivo ſummè volatili eſſentialiter conſiſtens jam irrepſerat, in virulentæ Gonorrheæ prima efformatione: Nihilominus difficilis ſeminis ad Coitum excretio, & potentia ad motum, quæ in Nob. P. maximè vigebat, ſolam relaxationem, vel excoriationem proſtatarum Lympham elaborantium pro ſeminis vehiculo manifeſtè portendebat, & potiſſimùm, quia materia perpetuò fluens

fluens lymphaticam potiùs, quàm ſeminalem redolebat naturam; Unde conjicere licuit Medico tunc temporis adſtanti, filamentoſas, & purulentas Moleculas, quæ cum alba quadam ſeroſitate fluebant, potiùs eſſe exulcerationis Urethræ Materiem, quàm Genituræ ſubſtantiam: Quòd intendit probare *Ættmullerus* in ſuo Tractatu de Gonorrhæa; Ubi proſtratis glanduloſis circa cervicem Veſſicæ deſinentibus, quandam aſſignat proprietatem ſui generis lympham præparandi, hoc eſt *humorem limpidum, aquoſum, tenuem, & lubricantem*, ad faciliorem denſioris ſeminis ejaculationem.

Facta igitur læſione in continentibus hiſce partibus à gallico Contagio, & forſan etiam, ut voluit *Muſitanus*, cum continua affluentis, & nutritivi glutinis alteratione, ſanioſus perpetuatus eſt fluxus, nullo propemodum delectamento, nec ulla voluptatis illecebra ſtipatus,

qui tàm Mercurialibus, quàm appropriatis acidum corrigentibus non ceſſit; Quòd duplici de cauſa puto contigiſſe: Primò ex venerei fermenti activitate in ſolidis partibus jam radicata, ſecundò ex peculiaris Temperamenti conſtitutione ad calidum, & ſiccum cum aduſtione vergentis, in quo propter abundantiam partium ſulphurearum facilè inflammabilium, ſemper magis ſalinæ exaltantur, idcircò aquiſita per effervefcentiam volatilitate, à ſanguinis maſſa, & ad acredinem diſpoſita, à ſpiritu balſamico modificante privatur, & extirpatio venerei fermenti impeditur.

Præter quàmquod occaſione Turcarum oppugnationis ad Peloponneſum, adque Inſulas Arcipelagi excurrens die, noctuque animo, & corpore militaribus negotiis deditus, & aſſiduo Marte vexatus aeri maritimo ſe expoſuit, qui ſalſedinem naturalem non parum adauxit,

uxit, unde deſtructa naturali craſſitie, & viſcoſitate ſanguinis, ſpirituoſæ particulæ per diſſolutionem vinculo deſtitutæ avolarant, & relictis portionibus craſſioribus, & excrementitiis in infernis Viſceribus, aliquas obſtructiones pepererunt, quæ de quarto in quartum, dato turgeſcentiæ tempore à ſtagnantibus humoribus perterebratæ periodicas effervefcentias toti maſſę communicarunt, Febremque intermittentem quartanam effecerunt cum levi, & obſcura quadam in principio exacerbationis extremorum refrigeratione. Non obſtupuerunt Medici tali morbo tentari Nob. P., dum ad id diſpoſitus fuerat à naturali conſtitutione totius, & Jecoris calida, & ſicca, conſpirante potiſſimùm contracta Lue gallica, *Cujus characteriſmus eße ſolet ipſa aduſtio*. Quare nil mirùm, ſi per quatuor annos, reſtagnante humore noxio per intervalla à Febre quartana fuerit vexatus, quæ

tandem aliquibus peractis purgationibus evanuit; ſed incaſſum.

Cum enim ad viginti annorum ętatem pervenerit, vaga Arthritide, in primis ſiniſtrum cubitum occupante, aggreſſus eſt, ex reſeratis probabiliter ab Hypocondriorum Regione lixivioſis, & tartareis ichoribus præcedentem Quartanam generantibus, qui facta Methaſtaſi in articulis ſibi Imperium, arripuerunt. Ex lege etenim circulationis bilioſæ, & tartareæ ſeroſitates ab infernis Viſceribus ad Cor, & mediantibus Carotidibus ad Cerebrum tranſmiſſæ catarrhales, & lymphaticas depoſitiones attenuarunt, quæ ſemper magis rarefactæ ex viciſſitudinaria particularum agitatione ad infimas partes defluebant, & recedebant, inæquali ſemper ad motum relicta hebetudine.

Fuerit, vel fervida Viſcerum naturalium intemperies, quæ æterogenea hujuſmodi excrementa produceret, vel

aeris

aeris inclementia, quam in Caſtris evitare nequibat, ad tanti momenti muneris executionem, vel pravus ciborum, & præſertim carnis ſalitæ, & piſcium ſuffumigatorum apparatus ſeroſas multiplicans humiditates, podagrica agitatio frequenter redibat, tumoribus foveam non concedentibus rubeo colore, atque calore annexis, qui in alterutro pede certatim ſæviebant; Sed cum diverſo invaſionis modo, in quantùm ſcilicet in diverſas partes ſerpebant, & in quantùm varii generis ſales magis fermentabantur; In ſiniſtro tamen Genu, & calcanei oſſe ad Tarſum ſe ſe extendente frequenter viſcoſa colluvies deponebatur, ſuperſtite manente in tota Cruoris maſſa fæculentiarum proventu, & relaxato à nimia forſan equitatione tendinum fibroſorũ tono.

Adde, quòd familiaris Vini meracioris abuſus in Oriente conſueti, principalem, & inevitabilem Podagrę fomitem

tem ex labefactatione primarum concoctionum, & fermentationum exagitaverit; Quam opinionem ſuggerit Eruditiſſimus *Sydenham* in parvo tractatu de Podagra pag. mihi 41. *Licet enim*, ait ipſe, *proverbio jactetur, Vinum potans laborabis podagra, & Vinum non potans Podagra laborabis, extra controverſiam tamen eſt, & variis experimentis confirmatiſſimum, Vinum de facto officere*. Quòd probabiliori jure ſuſpicandum in N. N., eò quia abſtemius uſque ad viginti annos ex Idioſyncraſia naturæ vixerat.

Rebus ita ſe habentibus, & à tot recidivis conflictatus propriæ ſaluti ſtudens anno 1689. curam radicalem meditabatur, quæ falcem ad radicem mitteret pro omnimoda reluctantis morbi eradicatione. Sola Chalcidis (Italis Negroponte) obſidio erat impedimento; Arduum ſatis opus, in quo Venetus Exercitus totum Septembrem impenderat;

derat; Deficiente tamen Maumetanis Annona,& conſumpto omni commeatu, Urbis, aut ſpontanea deditio, aut ſollicita oppugnatio ſperabatur: Qua quidem abſoluta, & fugatis Barbaris liberum autumnale tempus N. P. propriæ ſaluti dicatum volebat mediante Methodica curatione totius morbi eradicativa. Sed contrarius fuit voto eventus: Dum etenim cum veterana Peditum Cohorte, ſitim Othomano ſanguine explere properante, circa muros excurrit, à plumbea ſclopeti glande Caput vulneratur, unde errante per vultum cruore in Caſtra evectus, ibi frenata liquoribus ſtypticis ſanguinis Hemoragia à ſauciatis vaſis ubertim ſtillante, conveniente ſuperaddita faſciatione, aliquantulum quievit.

Tranſactis vigintiquatuor horis, & noviter denudato Vulnere à primario Exercitus Chirurgo nomine *Fara*, obliqua reperta eſt penetratio plumbeæ

Glan-

Glandis, quæ lacerato Muſculo temporali dextero, ubi in parte ſuperiore in Pericraneum deſinit, Cranium ipſum transverſaliter perforabat; & quàmvis mortalia non adeſſent ſymptomata, læſio ſolius muſculi, & ipſius oſſis ad meditulium uſque fractura magnum Vitæ periculum, vel ſaltem Morbi longitudinem prꝺſeferebat. Cuncta nihilominus generoſa, invictaque fortitudine ferebat N.P., immò quod fuit durum pati pro Principe, dulce illi meminiſse videbatur. Hinc eſt, quòd impenſis duobus integris menſibus, ſcilicet Octobre, & Novembre in Vulneris curatione, ſęviente jam Hyeme, cæterorum Morborum extirpatio fuit præpedita, quin etiam ipſa altiùs Serpente Gonorrhæa noxiori viru canalem inficiebat, unde in media Urethra aliæ Carunculæ increverunt, quæ levi quavis occaſione difficiliorem mictionem inducebant.

Quare ſequentibus annis, aut Febres,

tua

aut Urinæ ſupreſſiones recrudeſcebãt, ſemper cum renovata animalis Æconomiæ labefactatione; ſed, ut veris Veriora fatear, morboſam Iliadem, adeò ferre conſueverat, ut vel ipſa non obſtante ſua munera obiret, aut ſolis paroxyſmorum excãdeſcentiis,in lecto ex neceſſitate jaceret. Talem cordis magnanimitatem novit & ipſa Venetorum Reſpublica; Idcircò æquoConſilio in altiores ſemper gradus provectus, tàm Belli, quàm Pacis publico magis Bono vivebat, quàm ſuo.

Quid plura? Matt. Joh. Schulenburg S.R.I.Com.Ser.Venet.Reip.Campi MareſchallusGeneralis ſolum N.N.à ſe indiviſum *Corcyræ* voluit ad ferendamBarbarorum obsidionem eorumq; impetus retundendos; Ubi quam ſtrenuè pro Civitate, pro Principe, quàm malè pro ſua incolumitate ſe geſſit. Illum vidiſſes, nunc ordines committere, nunc promiſcuè cum Militibus dimicare,

micare, nunc eminus Generalis dignitate perfungi. Ab externis Vallis non exibat ad nocturnum de repentè conflictum Mareſchallus, quin ex alio aditu N. N. in Maumetanos non irrumperet, ſemper renovata Barbarorum clade, ſemperque redux, & onuſtus felici Victoria; Adeò, ut poſt quadraginta quatuor dies eluſo Barbarorum conatu, & irritis omnibus tentatis oppugnationibus, ſola fiducia in pedes verſa, deſperata fuga lætam Inſulam dereliquiſſent.

Parta tamen gloria parùm potuit frui invictus noſter Bellator; A peractis etenim occaſione latæ Obſidionis in diæta erroribus, ab eſu carnis ſalitæ, à noctibus inſomnibus, & continua ingurgitatione Aquæ marinæ ſalina diatheſis in univerſa fluidorum maſſa cæpit crudeliùs ſævire, ſicque noxiis introductis fermentationibus, & in ipſo quaſi dicam, vitæ diſcrimine conſtitutus,

oepræ,

operæ pretium duxit, etiam cum conſilio adſtantium Medicorum *Brixiam* petere, ubi conſpirante potiſſimùm nativa aeris conſtitutione, & Militarium curarum abſentia, potiori fundamento, optata ſalus poterat vaticinari.

Parem nihilominùs, & hìc fortunam habuit: Tertia etenim ab adventu die, dum per ſcalam deſcendit, neſcio, quo Fato, à lapideo gradu pręproperè labente pede validam adeò contuſionem in parte poſtica Oſſis Sacri contraxit, ut mutato cutis colore, & ſtagnantibus ichoribus utriuſque Cruris motus fuerit præpeditus; Quinimò hac data occaſione Arthriticis quoque particulis in motum poſitis Iſchiadicus quidam dolor in ipſa parte fixatus eſt, ubi propter aliquam læſionem in partibus ſolidis, & ſucceſſivam debilitatem, etiam in poſterùm per intervalla ſemper recruduit.

Aliquantisper tamen tunc temporis diminuto, & vix, ad diſpòſitionem ratio-

rationalis curationis expiatis primis viis, nobis, & ipſo N. N. inſcientibus, Supremæ adveniunt Litteræ ſollicitum reditum inOrientem imperantes; Maumetani etenim, partim reliquiis fugati Exercitus, partim inermi Militum turba novam Claſſem inſtruxerant, quæ VenetisRegionibus vaſtitatem minitabatur. Tali nuncio non excanduit N. P. ſed Principi, ed Honori ſe natum eſſe ſuſpiciens,nec Amicorum precibus remoratus, nec Parentum lacrymis emollitus ſubitum, ac periculoſum iter aggreditur, transfretat maria, & in Orientis littora allidit. Ibi ex Decreto Excellentiſs. Andreæ Piſani præclariſſimæ ſemper Memoriæ, Supremi tunc temporis Venetorum Reipublicæ Præfecti, & Socio Marte cum Mareſchallo Schulenburg- *Nicopolim*, & *Anactoriam* ſtricta Obſidione agit, breviſſimoque temporis tractu memoranda Turcarum clade Veneta Vexilla in

utraque

utraque Urbe defixit.

Sed, Heu! Nimis importunè tanti laboris immeritas pœnas coactus eſt luere, dum à præpollente, ob tot errores, in liquidis morboſa Diatheſi, & irritata à continua equitatione Regione Perinæi, paulatim Tumor ſubortus eſt à Scroto, uſque ad Anum ſe extendens, qui vel Urethram comprimendo, vel Carunculis in Meatu radicatis inflam̃atorium æſtum ſuggerendo, Urinæ tranſitum omninò prohibuit; Quapropter creſcente in dies Tumore, propter neglectã Meatus Urinarii deobſtructionem, ſuppoſita ab Adſtãtibus neceſſaria ſuppuratione ſectionem *Antonius Garbellotti* celebravit; qua ferè dicam eodem momento repetita, & in profundiores partes inſculpta *a Jo: Baptiſta S. Marie* Chirurgo *Gallo*, nullum tamen, aut Pus, aut Urina exivit, ſed ſolùm ſanguinea quædam ichoroistas, à ſectis Vaſis tranſudans.

Deluſi ab inexperta penetratione ambo Adſtantes Chirurgi, & ſævientibus doloribus, anodinum Cataplaſma toti Perinæo imponunt, immò Prudenti Conſilio Semicupium aquæ dulcis inſtituitur, à quo emollita Fibra, & laxatis Vaſis, mediante placidiori Humorum circulo Tumor aliquantulùm diminutus fuit, præcipuè propter datam Meatus Urinarii portam; Ubi jam miteſcente Caruncularum inflammatione, Urina pedetentim ſtillabat. Remanſit tamen non exigua Tumoris portio, quæ per totum Hyemem 1717. variis remediis tractata à Domeſtico Chirurgo, ſcilicet *S. Marie*, tandem proxima Æſtate in *Olcinii* Obſidione ad tantam magnitudinem eſt evecta, ut Caput Infantis æquaret, unde diſcontinuatis Vaſis, & non ſolùm Urina, verùm etiam particulis ſanguineis in ipſam cavitatem extravaſatis, verè ſuppuratoria facta eſt fermentatio, quę ſuperato partium car-

noſa-

noſarum renixu, exitum in Perinæo ſibi aperuit.

Tentata incaſſum ſinus Coalitione *Venetias* ventum eſt, ubi repetita inciſione, & balſamicis per quadraginta dies in uſum poſitis, reluctante morbo, neceſſarium cenſuit celeberrimum *Lealem Leali* conſulere. *Patavii* itaque a Sapientiſſimo Profeſſore expiata non solùm parte, verùm etiam attentè conſiderata quadam Febricula habitualis ſpecimen præſeferente, methodicam meditatus eſt curationem in Patria abſolvendam. Qua cum *Brixiam* perveniſſet 3. *Decembris* 1718. illico accerciti fuerunt Medici, Eruditus ſcilicet Dom *Petrus Sala*, & *Coſtantinus Roncallus* Pater meus, ut ſocio ſtudio, & diligentia ſaluti N. P. incumberent. Hora autem Noctis prima ipſum valida Febre correptum invenerunt, cumque Pulſus auctam agitationem itineris incommodo tribuendam cenſerent, difficile fuit

cognoſcere, utrùm ratio continuitatis, an ratio Periodi prævaleret. Inſpecta parte, Tumor in primis durus, ſed parvus ad tactum dolens circa radicem Penis apparuit; qui in dextero latere quandam veluti continuationem cum Scroto præſeferebat. Inferiùs in regione Perinæi ſinus fiſtuloſus inventus eſt calloſa, & profunda duritie circumvallatus, cujus tamen fundum, & inſinuationis modum, tunc temporis brevitatis, & quietis gratia, non placuit inquirere. Interim emplaſtro emolliente ex pane,& lacte Scroto,&Inguini ſuperimpoſito filacea turunda digeſtivo roſato illita in Fiſtulam immerſa eſt, ſummaque quies eſt imperata, ut refractæ vires ex longi itineris fatigatione aliquantulùm reſurgerent.

Summo mane, nobis redeuntibus, notabilis exacerbationis remiſſio inventa eſt, quæ licèt duplici tertianario Circuitu ſtipata videbatur, nihilominus

habi-

habitualis Gallica cenſita fuit, tam ratione veſpertinæ invaſionis, quàm eſſentialis continuitatis; Quare non fuit dubitationi locus, quin in tota Sanguinis maſſa continua ſucci nutritii labefactatio ſupponeretur, quæ corporis habitum colliquatis Humoribus ad tabidum ſtatum paulatim reduceret; Fodina verò nocturnæ exacerbationis ultra Sanguinem ſtatueretur, in loculis ſcilicet Glandularum conglomeratarum, ubi Lympha particulis crudioribus, & improportionatis à Gallico contagio detinebatur. Sic opinatus eſt D. *Petrus Sala* Galenicæ, atque Hippocraticæ diſciplinę fidelisCultor,quòd nempe à ductibus lymphaticis undequaque inSanguinem refluis febrile fermentum maſſæ Sanguineæ confunderetur. Indicio erant pulſus Arteriarum depreſſi,laſſitudines in Cruribus,& frequentiſſimæ oſcitationes,ſeu motus quidam Muſculorum convulſivi Maxillam inferiorem
depri-

deprimentes, & interdum aliqua extremorum refrigeratio, durante probabiliter extranei ſucci intra cruorem ingreſſu. In Cordis tamen ventriculis aquiſito intimiori quodam cum Sanguine connubio, febrile virus à prępollente Sanguine comminuebatur, & ſecuto partium unibilium vinculo, & æterogenearum ſubactione Paroxiſmus febrilis ſolvebatur, ſed imperfectè. In Sanguine etenim reſtitantes reliquię continuò radicabantur, quæ à novo adveniente ſucco tempore acceſſionis renutritæ continuam, ſed lentam pulſus vibrationem inducebant.

Aberat ſitis; Cibum honeſtè appetebat, & aliquibus per intervalla horis ſomno indulgebat, niſi quòd à recrudeſcente Dolore ad radicem Penis vexabatur. Tumor tamen in circumferentia minor, & ad tactum mollior apparuit, & per conſequens cereæ candelæ experimentum per Meatum Urinarium

con-

conceſſit. Vix tamen in Penis canalem immiſſa eſt, quòd ſe ſe exhibuit calloſum obſtaculum in medio Glandis parenchymate ad Urethræ fundum radicatum, quod prima inſinuatione impermeabile videbatur, ſed repetito ſuaviter impetu, adminiculante diverſa Glandis preſſione, cum tolerabili dolore ſuperatum eſt: Duobus digitis tranſverſalibus circiter poſt primam ſecunda obſtruens Caruncula occurrit, priori minor, ſed exquiſitiſſimi ſenſus, utpotè carnoſa, ad oppoſitum primæ, quæ in Callum Cicatrice facta obduruerat. Superata ſecunda inſignis de repentè dolor ſubortus eſt, propter contactum ſũmitatis rectè candelę in oppoſitum latus Meatus tortuoſi; Interpoſita tamen aliqua temporis mora, cerea Syringa propter nativum calorem ad ſufficientem mollitiem redacta, Meatui Urinario, quàmvis exulcerato, coadaptata ad tertiam Carunculam pervenit. Varius fuit

modus inſinuationis, variæ preſſiones, multi impetus, ſed omnes fruſtranei, Inflammata etenim Caruncula penitùs Canalem obſtruebat, immò renovato impulſu irritata majus ſpatium occupabat, quare ab ulteriori opere abſtinendum, ſtatutum eſt.

Interim Matula exhibetur, dum Penis doloroſa tractatio mejendi deſiderium excitaverat. Exit Urina obliqua, bifurcata, & adeò ſubtilis, ut interdùm omninò interciperetur. Obſtupuimus omnes, facilèque conjicere nobis licuit Strangurias, & Urinæ ſtillicidia in Oriente paſſa, ubi circa mictionis finem, cum acerba mordicatione, immanis ardor uſque adGlandis extremitatem ſentiebatur, à ſolis increſcentibus Carunculis ortum duxiſſe. Major tamen Urinæ quantitas ex Mechanica neceſſitate per Fiſtulam in Perinæum præcipitabat, & cum ratione; Liquidum etenim urinarium, tranſacto Veſſicæ collo à tribus

validis

validis reſſiſtentiis identidem repercuſſum, qua data porta debet fluere; & utinam felici cum exitu diſiliiſſet, dum N.P. à tot dolorum, & inflammationum Iliade præſervaretur; Attenta ſiquidem argentei ſpecilli intruſio Urethræ foramen circa ſiniſtrum latus manifeſtabat; Quapropter Urina in erectores Penis Muſculos è directo propulſa per carnea interſtitia filtrabatur, Tumoribuſque Scroti, & Perinæi anſam facillimè præbebat.

Illud porrò obſervatu dignum fuit, quòd Urina lacteam indolem præſeſerebat, cruſtulis membranaceis, ac veluti furfuraceis ſaturatam, quæ cum motu ſpirali in gyrum circumagerentur, nec illicò in fundo Matulæ reſiderent, ancipites nos reddiderunt, utrum legitimi puris, aut ſeminalis genituræ naturam redolerent; Juxta illud *Ettmulleri pag.* 834. *in Gonorrhæa tàm benigna, quàm virulenta Genitura Urinæ ſuper-*

natat

natat inſtar cremoris alicujus, contra Pus, & Pituita fundum occupant. Augebatur difficultas, quia continuata Urethrę exulceratio uſq; ad Veſſicæ collum tantam materiem plorare non poterat, & præcipuè, quia dum Sphincter à mejendo feriebatur, purulentiæ ſupra tertiam Carunculam genitæ per Fiſtulam defluebant. Perſuaſi itaque manſimus acidum Gallicum ſuæ ideæ ſpecificum, quod in Glandularum mæandris, *aliiſque corporis receſſibus* ſtatuimus, *ſub Puris viſcidi fixioris, minuſque volatilis forma* in Urethram poſſe derivari, ubi ab aliqua Proſtatarum Glandularum exulceratione auctum, cum torminoſo per totam Urethrã cruciatu præterfluit.

Ex diverſa itaque ſolidorum contraoperantia, & fluidorum mixtione manifeſta, & occulta qualitate peccantium, ſerum ex glanduloſis Corporis receſſibus Venereis excrementis ſaturatum, nec ulla concoctione, aut remediorum

genere

genere domitum in vias urinarias imbecilliores redditas derivatur, ubi ab Urethræ exulceratione multiplicatum Urinam lacteam, & purulentam conſtituit: Quòd breviſſima temporis mora magis patefecit. Vagantes etenim moleculæ celerrimè dilabentes fundum occuparunt, mox exiguo Matulę motu aſcendebant, donec vitro quieſcente in fundo denuò declinarunt, &, ſublato dubitationis loco, genuinum puris characterem exhibuerunt.

Talis Affectuum diatheſis, non tam à morboſæ conſtitutionis indole, quàm à laborioſi itineris incommodo ſuccreverat. Ob nimiam quippe Corporis agitationem, & moleſtas aeris vibrationes, quæ potiſſimùm occaſione mejendi in partem affectam deſæviebant; Unde haud mirum, ſi à violenta Fibrillarum criſpatione retardato debito fluore liquida ad ſtagnandum majo-

rem

rem promptitudinem adſciverint, ſicque ſubtilioribus particulis dilabentibus, craſiores prima ſubſidentiæ rudimenta jecerint: Quibus in dies adauctis, immò novis jugiter ejuſdem molis, & gravitatis noxias ſuppetias afferentibus aucta Villorum contractione, & effęminato partis tono inflammatoria diſpoſitio ad radicem Penis in dextero latere excrevit, quæ ab interfluente per occultos Canaliculos Urina exacerbata ſuppuratoriam fermentationem minitabatur.

Rebus ita ſe habentibus, anteqam aliquod remedium executioni mandaretur conſultatio Eruditiſſimi *Lealis Leaii* in Patavino Lyceo P.P. exhibetur, cujus verba ad auctoritatem hìc non pigeat inſerere.

„ Sono tutti tralci di una ſola radice,
„ cioè à dire di Lue venerea li faſtidioſi
„ mali di S. E. Più Gonorree poco, e mal
„ curate furono li primi abbominevoli

frutti

„frutti della peſtifera pianta, e queſte „rodendo ben preſto l'interior faccia „del Meato orinario v'eccitarono l'ulce„re, da cui poſcia germogliò come ſuol „farſi la carne luſſureggiante, che vol„garmente Carnoſità vien detta. Prof„fondatoſi l'Ulcere con il corſo del tem„po avvalorato da molti, e gravi errori „nel vivere, che porta ordinariamente „ſeco la Vita Militare, paſsò finalmen„te a formare quel ſino, che ora nel Peri„neo ſi vede, da cui ſgorga la maggior „parte dell'Orina, circonvallandolo con „evidente tumefazione, che ſin alle ra„dici della Verga ſi eſtende.

„ Rimarcabili ſconcerti della ſalute „ſon queſti; Ma offeſe però particolari „di parti deſtinate a baſſi officj nell'ani„mal Economìa, e perciò incapaci per „ſe d'inſultare la vita, quando eſpugna„to il veleno venereo, non le andaſſe „accompagnata una Febre lenta, tanto „più da ſtimarſi, quanto men conoſ-

ciuta

„ciuta da S. E., fuor che nello ſmarri-
„mento delle conſuete forze, e nella
„dannegiata nutrizione del Corpo tut-
„to. A queſta, che inſidioſa, e ſenza
„mai ceſſare l'offende, altra ben mani-
„feſta, ma vaga di tempo in tempo s'u-
„niſce, che poſta in eſſere da copioſi tra-
„lignanti ſughi, viene per lo più a ter-
„minarſi in un copioſiſſimo rimarcabi-
„le ſudore. Queſto, che è lo ſtato pre-
„ſente di S.E., dimanda per mio giudi-
„cio, a diſpetto anche della ſtagione
„qualche pronto ſoccorſo, acciò che
„rinvigoriti i mali, e rinforzata la loro
„cauſa per l'oziosità medica, non ven-
„ga l'una, e gli altri a farſi più contu-
„maci, e men atti a intieramente cu-
„rarſi.

„ Una tal maſſima giuſtamente rice-
„vuta, non men chiaro ſi vede, doverſi
„principiare queſta cura dalla eſpurga-
„zione della cauſa, perche ſenza la di-
„ſtruzzione d'eſſa, che inceſſantemente
ſoſtenta,

„ ſoſtenta, anzi di giorno in giorno ſem-
„ pre più nutriſce gli altri mali, che ſono
„ ſua prole, ogni opera ſarebbe vana, ed
„ ogni fatica gettata.

„ E perche queſta cauſa non ſi può vin-
„ cere, che con il mezzo de' ſpecifici, ed
„ appropriati aleſſifarmachi, che ſono
„ decozioni di Guaiaco, Salſa, ed altro,
„ ò Mercurio in varie guiſe preparato, e
„ ſomminiſtrato, volſi ad uno di queſti
„ gran rimedj, dopo qualche prepara-
„ zione del Corpo, dar animoſamente
„ di piglio.

„ In fatti, ſenza dubbio, queſt' ultimo,
„ come più valoroſo, e più ſicuro, quan-
„ do ſpecialmente ſi tratta di Lue celti-
„ ca antica ſi doverebbe preſciegliere;
„ Ma riflettendo alle Febri vaghe, che ſi
„ ſciolgono utilmente in copioſo ſudo-
„ re, ed alla naturale facile diſpoſizione
„ di S. E. a queſta univerſale evacuazio-
„ ne, parmi, che ſervir poſſa ſufficiente-
„ mente per il preſente biſogno il decot-

to

„ to de' nominati legni, accompagnato
„ da ſudore, come quì appreſſo diràſſi.
„ Pervenuta dunque S. E. in Patria,
„ dopo il ripoſo di un giorno dia mano
„ a preparare, e diſponere il Corpo per
„ l'uſo dell'acennato rimedio con una
„ pozione di Manna ſciolta nell'infu-
„ ſione di Senna, e Tartaro alla quanti-
„ tà di ſette in otto oncie. Da una ſimi-
„ le, che quì preſe, s'ottenne copioſa, fa-
„ cile, ed utile evacuazione, onde ſe ne
„ può attendere ſimile anche in Breſcia
„ l'effetto. Paſſate quattro ore con l'in-
„ termezzo di una tazza di brodo liſcio
„ prenderà cibo; Cinque, o ſei giorni ſe-
„ guenti ſi paſſeranno con due dramme
„ ogni mattina di bianca Magneſia ben
„ preparata, e ſpogliata da ogni ſapore,
„ diſciolta in brodo tenue, o acqua di ci-
„ coria a piacimento. Indi con un'altra
„ pozione ponga fine a queſta picciola
„ purga, per dare ſollecito principio al
„ decotto aleſſifarmaco, qual ſi prepare-
„ rà in

, rà in queſto modo ℞. *Lign. guai. ping.*
, *in ſcobem recenter redacti unc. ii. Sarſa-*
, *paril. S. A. inciſ. unc. i. Rad. chin. in tal-*
, *leol. inciſ. unc. s. inf. S. A. iu aqu. fontis*
, *lib. iii. s. per Nyctemerum, deinde igni*
, *ad mota bull. S. A. ad conſumpt. ferè di-*
, *midii; Vbi refriſerit col. & ex hac col.*
, *ſumat mane ſimul cum Merc. diaphor.*
, *gr.* v. *Doſis verò ſeparetur ad exigen-*
, *tiam.* Il primo giorno paſſeràſſi ſenza
, provocar ſudore, ma nel ſecondo paſ-
, ſerà S. E. un ora dopo il decotto ad ec-
, citarlo nella conſueta Stufa vaporato-
, ria, oſſervando, che il Calore della ca-
, meretta non ſii eccedente, o troppo ri-
, meſſo, ma quanto baſta per aprire le
, poroſità della cute, e mover modera-
, tamente il Sudore. A che fare con-
, vien ſciegliere Miniſtro perito, dipen-
, dendo molto da queſto il bon eſito del
, rimedio. Promoſſo il Sudore paſſerà
, nel letto ben caldo, in cui ſi anderà ſe-
, condando per il ſpazio di un'ora. Scri-

,, vo per minuto queſte coſe, perche co-
,, sì hà voluto S. E: per altro ſo quanta
,, Virtù, & eſperienza diſtingua frà mol-
,, ti que' Soggetti, che dovranno aſſi-
,, ſterle, e conſeguentemente eſſere ſov-
,, verchio ogni cenno ſopra queſti ordi-
,, ni, e cautele.

,, Così a poco a poco anderà S.E. avez-
,, zandoſi alla Stufa, in cui tratteneraſſi
,, con il paſſare de' giorni, quanto venirà
,, conoſciuto neceſſario, per ſpremere
,, con tal mezzo dal ſangue, e dalle par-
,, ti offeſe, con gli eſcrementi, che le in-
,, feſtano, il veleno, che li produce. Ogni
,, Settimana prenderà un Solvente a ſuo
,, piacimento, e mi piace ſempre la ſud-
,, detta pozione, per ſcacciar e con li ri-
,, maſuglj del decotto gli eſcrementi più
,, groſsi moſsi dal Diaforetico, ma inca-
,, paci di uſcire in figura di ſudore dalli
,, pori, ancorche ben' aperti della cute.

,, L'uſo di queſto gran rimedio dove-
,, rebbe eſtenderſi a quaranta giorni,

poiche

, poiche radicato il male in ſtagione av-
, verſa, ſenza un tal tempo, non può
, eſtirparſi: Chi ſarà preſcielto ad aſsi-
, ſtere, regolerà ſenza dubio la ſua più
, o minor eſtenzione a miſura del biſo-
, gno. E quì mi ſia permeſſo di raccor-
, dare a me medeſimo, doverſi per il
, buon' eſito dell' impreſa ſciegliere
, ſtanza piccola ben chiuſa, e conſerva-
, ta ſempre ben calda, ſpecialmente la
, notte, acciò che ſi poſſano con tal mez-
, zo conſervare le poroſità cutanee in
, quel diametro, che è neceſſario, per
, dar loco, e facilità al novo Sudore da
, provocarſi la mattina. Io me lo dico
, un altra volta, ſe ſi laſcia chiuder la
, notte ciò, che ſi è aperto il giorno, dif-
, ficile, e ſcarſo ſarà il Sudore, e l' alle-
, viamento imperfetto.

, Ogni mattina terminato il Sudore
, ſi conſolino le parti Spiritali, con lo
, Stommaco, e Viſcere adjacenti media-
, nte l' uſo di una copioſa ſcemata fatta,

, con ſemi di Melone in aqua d'acetoſa,
, e reſa grata cõ un pó diZucchero fino.
, Alla region delleReni ſarà bene appli-
, care l'unguento roſato bianco, non
, meno che alli Ipocondrj il malvino. Il
, temperamento fervido di S.E. diman-
, da queſti ajuti eſterni, & interni, ed il
, tralaſciarli ſarebbe forſe di non lieve
, pregiudicio, anzi d'impedimento al
, frutto, che intendiamo di raccogliere.
, Nel reſto per quello riguarda alla re-
, gola del ſuo vivere, uſeraſſi una dieta,
, ne troppo auſtera, ne troppo piena. Pa-
, ne biſcotto, Mandole, Uva paſſa, co-
, me ſi ſuole, ma due o tre volte alla ſet-
, timana un pó di Carne arroſtita, non
, ſi diſdice qualche Ovo fatto di freſco,
, e ſi loda l'uſo del ſugolo d'orſo la ſera.
, La decozione di Salſa ſervirà per bere,
, dandoſi intero congedo al vino, ſin
, che durerà l'uſo del decotto. Queſto
, terminato dovràſſi perqualche giorno
, temperar qualche poco il Sangue reſo
ſervi-

, fervido dalla Natura de preſi rimedj ,
, con bibite in ore opportune di ſiero
, Caprino depurato, aqua d'acetò, di cic.
, o ſimili , con un Cuchiaro di Zuc-
, chero roſato, laſciando al maturo giu-
, dicio di chi aſſiſterà il conſiderare , ſe
, foſſe bene, ancorche in tempo aſſai ri-
, gido aprire la Vena , e laſciar uſcire
, ſett' oncie , in otto di Sangue .

, Tutto il detto riguarda l' univerſa-
, le , ma profitterà , non poco per ſollie-
, vo delle offeſe particolari , che eſige-
, ranno ancor eſſe nel tempo ſteſſo cura
, e governo .

, In primo luogo dovràſsi conſervare
, aperto il ſino d' onde ſcaturiſce nel
, tempo di ſcaricare la Veſsica , l'Urina,
, ſchivando , quanto ſia poſsibile d' irri-
, tare la parte aſsai di ſua natura ſenſiti-
, va , e in cui data ogni piccola occaſio-
, ne vanno a precipitare novi Sughi, ca-
, paci di cauſar dolori , e ingrandire le
, preſenti tumefazioni . Tutto per altro

,, ſia leniente, e temperante, e in tal ma-
,, niera conmpoſto, che vaglia a riſolvere
,, il tumefaciente, ma nel tempo ſteſſo a
,, dar vigore, e forza alla parte ſteſſa. La
,, taſta de fili ben intorti ſia per lo più
,, ſenz' altra medicatura; Con queſta ſi
,, conſervi ampio, e retto il ſino, ſi che
,, ſpremuta per l' ulcerata Uretra l' Ori-
,, na eſca liberamente, ſenza aver tempo,
,, o luogo da farſi de naſcondiglj, e prod-
,, dur novi ſini, come ordinariamente
,, ſuol ſuccedere a meno avveduti. Al
,, diffuori il Cerotto Diapalma, con l'O-
,, xeleo bianco. Alcuna volta il linimen-
,, to ſemplice con l' Oglio roſato onfaci-
,, no, e l' onzione dell' unguento roſato
,, malvino, o del bianco ſervirà non po-
,, co a temperare qualche alterazione,
,, che ſuccedeſſe nel uſo della Stufa. Il
,, tumore, che circonda la Verga verſo
,, la Pube ſi ammolliſca, come ſin quì u-
,, tilmente ſi è fatto, con un linimento
,, di Oglio di Mandole dolci freſchiſſi-
mo,

„mo, ſperma di Balena non rancio, le-
„gati l'un l'altro con il Malvino. Così
„ſino che ſi travaglia in ordine alla de-
„purazione del Sangue, e l'eſtinzione
„della Lue celtica. Ciò ſucceſſo, reſte-
„rà l'ulcere ſinuoſo da curarſi, e con eſ-
„ſo da tentarſi la conſolidazione del
„rotto Meato orinario. Opere grandi
„e ſommamente difficili, ma da non
„ſperarſi ottenute, quando prima non
„ſi levi la Caruncula, o ſia Carnoſità, ef-
„fetto benſi dell' Ulcere iſteſſo, ma cau-
„ſa poi potiſſima della perforazione nel
„Perineo, la di cui cura è ben prima
„nell' intenzione del Medico, ma deve
„eſſere l'ultima, quando a Dio piaccia
„di benedire l'opera nell' eſecuzione.
„Secondi il Cielo l'adempimento di
„queſta, come la cognizione, e l'eſpe-
„rienza ne inſinuano quella, il che, con
„tutti li voti de proprio Cuore augura.

Leal Leale.

Conſensit Eruditiſſimi Viri Auctori-

tas cum Adſtantium opinione, niſi quòd P. Mannę Mag. ad *unc. vi.* tantùm redacta eſt, cujus moderatis evacuationibus aliqua etiam Tumoris inflãmatorii ad radicem Penis facta fuit remiſſio. Sed hora veſpertina Febris iterum exacerbata eſt cum levi lumborum perfrigeratione; Poſt mediam noctem nihilominus quievit, nobiſque ſummo mane adventantibus conſueta ſolum Febris pari ſemper tenore progrediens, cum acri ad tactum calore, & inſigni corporis macie inventa eſt. Interim parva quantitas Magneſiæ albę ad normam Conſultationis exhibetur, per octo dies continuanda, & omne ſtudium in compeſcendo inflãmatorio Tumore verſatur. Rubicundus etenim ad radicem Penis in dextero latere prominebat, futuramque ſuppurationem minabatur. Remedium ad reſolutionem erat difficile, quàmvis cauſa eſſet manifeſta; Tenuviores ſiquidem Sales in Urina contenti

tenti in Muſculorum interſtitia penetrabant, quorum Fibrillæ à ſuis aculeis vellicatę, & lancinatę in violentas, & doloroſas vibrationes agebantur, ſicque à Vaſis ſanguiferis, aut compreſſis, aut diſruptis comprehenſus humor effundebatur.

Ab antiquo etenim Urethræ foramine ad externos probabiliter Meatus Urinarii parietes continuato Urinæ, vel tranſitu, vel impulſu, preſſa, & arctiùs unita omni ramulorum ſerie, Sanguinis ſtagnatio ſemper augebatur, & impedito ſpirituum animalium per fibras nerveas influxu, liquidis pigriori lapſu circulantibus, partes ſulphureæ alliſione attritę deponebantur, ſubtilioribus evaporatis, viſciduſque Sanguis inſita volatilitate deſtitutus in partejam fermenteſcebat.

In hoc ſtatu rerum, cum Tumor verborum lenociniis nequaquàm abiret, pręmiſſa Pubis, & Scroti inunctione,

cum

cum ung. roſat. malvino, uſi ſumus ſaltem ad dolores compeſcendos emplaſtro ex ſequentibus, Scilicet *Naſturtio aquat. Menth. fol. Sambuc. far. Fabæ, & Lupin. cum ung. alth. martiato &c.* Tepidè applicato lancinantes puncturæ aliquantulum videbantur mitigari; Sed ſalinis particulis, quæ à craſſo, viſcidoque ſulphure irretiebantur, denuò in motum poſitis, extravaſatique liquoris Moleculas perpetuo motu exagitantibus, deſtructa fermentantis caloris ope carnea Compage, puris principia jam fluctuabant; Quare perfectæ maturationis ſolliciti, ne materia intus coercita, retuſo impetu, majorem cavitatem ſibi ſtrueret, cum adjacentium partium manifeſta jactura, ſuperpoſitum eſt cataplaſma ex radicibus *lili alb. alth. fol. malu. Mercurialis, Branç. urſi. far. Hord. ſem. lin. &c.*

Puris generationem immanis dolor, & aucta Febris per intervalla excande-

ſcens

ſcens comitabatur, & quàmvis abſceſſus introrſum non properaret, ſed potiùs verſus cutem externam emergeret, attamen ne nimis extenuata difficilè agglutinaretur, & ulteriorem per omne latus cavitatem metuentibus, ad ſectionem deventum eſt.

Facta fuit ſecundùm Fibrarum longitudinem, & Muſculorum proceſſus, in parte ad poſſibilitatem decliviori, ubi ſcilicet major undulatio ſentiebatur, ut ſufficiens fieret inciſio, quam requirebat partis laborantis natura, & Tumoris magnitudo; Exivit Pus album, leve, & æquale, cumque malè non oleret, citiùs ſalutem pollicebatur.

Non eſt hujus loci inquirere, utrùm Pus ex ſubſtantiali mutatione Sanguinis, aut ex humore partis nutritivo reſſultaret, lis étenim eſt promptioribus ingeniis agitanda; Cum *Dolæo* tamen crediderim, *Chiloſas particulas Sulphure occcaſione fermentationis defraudatas*

no-

noviter album colorem præſeferre, qui puris nomine nuncupatur. Interim ſtuppa ovi albumine quaſſato imbuta imponitur, ſpatio viginti quatuor horarum detinenda, quibus poſteà tranſactis, proportionata turunda digeſtivo illita purulenta ſanies expurgaretur.

Cum ecce ab improviſa partium perfrigeratione aggreditur, cum tali Arteriæ depreſſione, ut vix obſcurum quoddam audiretur Pulſus minutiſſimi Specimen. Duabus poſt invaſionem horis accedimus omnes celeritèr acciti, invenimuſque Pulſum aliquantulum reſſurgere, & febrilem calorem ſe ſe exerere. Finis pugnæ incommoda demulcebat; Depuratoria etenim erat Febris illa, quæ octo, vel decem dierum ſpatio recrudeſcens ex multiplici forſan producta excrementorum genere ad turgeſcentiam redacto, cum blando, & univerſali Sudore judicabatur, quem Pulſus elatus, & turgidus jam jam porten-

tendebat. Tota nocte ſudavit, & mane cum tranquillo, & nunquam interrupto ſomno quievit, quodque admirationem inducebat, ædematoſæ prominentiæ ſuppuratum Tumorem, & ſinum fiſtuloſum in Perinæo circumvallantes penitus evanuerunt.

Itaque ſecundo Medicamine exhibito, ut firmo tramite incederemus, denuò in conſilium vocamur.

Decoctum alexipharmacum, & ſudoriferum poſcebat N. P. propriæ ſalutis deſiderio, & fultus Patavina auctoritate; Sed obſtabat Febris lentè depaſcens, & nocturnis ſtipata exacerbationibus, obſtabant virium proſtratio, & ſemper aucta corporis macies. Neceſſariò etenim actu ſudoris ab aromatica, & oleoſa vi Guaiaci, Salſæ, & Saſſafras. Maſſa fluidorum confuſo particularum motu fermenteſcit, & ad diſſolutionem attenuata diſponitur, unde toto intenſius incaleſcente corpore, Febris augetur:

tur ; Præter quàmquod ſæviente jam frigore, Fibræ nerveæ glandulas ſubcutaneas contexentes, non ita facilè ad tantam laxitatem deveniunt, ut Scoriæ excrementitiæ æterogeneæ Gallico contagio coacervatæ, & ad ambitum Corporis diffuſæ perfectè eliminentur, aut ſi ab aucto igne & ſtragulis violenter laxentur, ros quoque nutritivus latici aquoſo immixtus diffluit, cum notabili ſpirituum animalium deperditione.

Interim, dum Adſtantes oculatiſſimi in ancipiti hærebant, Lues crudelioribus phenomenis ſerpebat, & Sanguis in circulationis neceſſitate noxam de facili hauriebat. Remedium itaque ſtatutum eſt, quod ſpecifica vì polleret, tam ratione Luis, quàm ratione emaciationis, ſed ſine Sudoris auxilio; Nutriens, & Alexipharmacum diſtillatum præſcribunt tenoris ſequentis. ℞. *Sarſaparil. unc.* vi. *Rad. chinæ unc. ii. Medul. lign. guai. unc. iv. Viſc. querc. unc. i.*

Sant.

Sant. citr. dr. ii. Cinamom. acut. dr.i. incid. & contund. oı̃a S. A. & f. inf. in aq. Cich.end borag.aa. lib.ii. per noctem, manepon. in Baln. M. cui add. Pullus jun. deplumat. & exante. Ranar. decorticat. lib.ii. Caud. cancr. mund. lib.i. Lact. vacini lib. vi. diſtill. oı̃a S. A. pro uſu.

Quod etenim plus faceſcebat negotii in N.N. erat univerſa Corporis Macies, quæ conſumpta pinguedine ad tabem jam properabat, eo quòd imminuto activo corporis principio, & nutritivo glutine carnoſis pororum diametris amplius non reſpondente, particulæ alimentares, non niſi cavitates majores replebant, reliquiſque minoribus, in partibus carnoſis vacuis remanentibus, interſtitia muſcularia ad contactum nitebantur. Hoc probabiliter ſuccedebat à crebrioribus Maſſę Sanguineę circulationibus, in quibus ros nutritivus parietibus vaſorum adhærens de facili abripiebatur, unde impedita aſſimilatione

tolle

tollebatur Nutritio. A continua tamen remedij exhibitione ſperabatur ſalium peregrinorum obtuſio, particularum æterogenearum attenuatio, ita ut tota Sanguinis Maſſa miteſcente, & ſpatiis fuga, & dilapidatione humorum antea inhabitantium relictis denuò à nutritivo Glutine repletis, in ſtatu priſtino ſub magnitudine jam aquiſita Corpus nutriretur.

Hoc tamen difficilè eventurum opinabantur, niſi aliqua moderatio fluxui ſeminali, & virulento impertiretur; Quemadmodum concepto à ſpiritibus animalibus in Corporibus nervoſis hoſpitantibus charactere annoſi Contagii, totius Urethræ nutrimentum altiùs inſculpto Ulcere in ſaniem vertebatur & relaxatis Proſtratis glanduloſis ſupra cervicem Veſſicæ excurrentibus putreſcens Semen, ſemper ſui juris in Uretram defluebat; Inibi repertis carnoſis obſtaculis in Meatu Urinario radicatis

ſubti-

ſubtilior,&ſeroſa portio ſtillatim filtrabatur, quæ perpetuam Gallicam Gonorrhæam conſtituebat, reliquis craſsioribus per Fiſtulam in Perinæum præcipitantibus, & quàmvis ſemper majoribus turundis ex ſpongia cerata præparatis ſinus fiſtuloſus patulus ſeſe offerret, tam Urinæ tranſitu, quàm purulentiæ; Nihilominus in tortuoſo itinere novos ſemper Cuniculos Urina ſibi ſtruebat, cum partium adjacentium torminoſa inflammatione ſæpè, ſæpiùs ſuppurationem minante; Quapropter præmiſſa ſinus quò ad profunditatem, & quò ad latera ſufficienti dilatatione, uſi ſumus cannula plumbea undique foraminibus obvia, ut tam purulentiæ ab Urethra, quàm ichorositates à tenuiſſimis, & cæcis Mæandris in Fiſtulam ſe ſe exonerantes data porta poſſent effluere.

Non obſtante hac diligentia in parvo Tumore ad radicem Penis arte ſuppurato, occaſione mejendi, aliquæ Uri-

næ ſtillæ apparuerunt, quæ diebus anteactis à Puris particulis craſſioribus ſuperindutæ oculorum aciem effugiebant: Attamen balſamicè tractandum, & ad cicatricem perducendum Pater meus opinatus eſt, ne perenni Urinæ effluxu craſſis, & terreſtribus particulis ad Meandri latera tenaciter adhærentibus, inducto Callo, in Fiſtulam pernicioſam migraret; Quòd facillimè poterat contingere ratione Partis affectæ imbecillioris redditæ, & potiſſimùm, quia parvus Tumor ad radicem Penis, quàmvis Brixiæ ſolùm ſuppuratus, antiquam, ne dicam annoſam redolebat originem, per conſequens conjicere licet, Urinam occulta via, occaſione exacerbationis in ipſum migraſſe, actu verò remiſſionis receſſiſſe; Quam quidem viam ad Fiſtulam diſpoſitam omnis in arte verſatus fatebitur.

Pari etenim ratione, Fiſtula in Perinæo, inter duos extenſores Penis Muſculos

ſculos ab Ani ſphinctere prodeuntes ſita, quæ Venetiis, & in Oriente tot exercuit Chirurgorum ingenia, non niſi ab Urina carneam compagem ſcindente, Scrobemque ſibi excavante originem habuit, quæ adhuc cum foramine rotundo, labiis duris, & calloſis, ſemper humida cum exiguo dolore perdurat. Deo tamen dante illam curaturam ſperamus, ſed in favorabili temporis conſtitutione, & prius emollitis ab Hypocauſto Carunculis, & appropriato medicamine penitus extirpatis.

Interim inſiſtendum in uſu diſtillati ſtatuunt, quoniam à ſola exhibitione 13. dierum Lues, Mitioribus Phenomenis fatiſcebat, & nocturnæ exacerbationes aliquantulum Mitigabantur; ſed, *Martii* 10., ab improviſo recruduit Febris erratica, & depuratoria cum ſolita partium perfrigeratione in regione præcipuè lumbari, dorſo, & ſcapulis. Poſt tres ab invaſione horas Pulſus ſe ſe

exeruit, & ſuſcitata inteſtina diſcordia à ſalium peregrinorum exaltatione, Maſſa cruoris ab inflammatorio infarctu, mediante Univerſali ſudore liberata eſt.

Dubium erat, utrum erraticæ hujus excandeſcentiæ fermentum inſenſibiliter aggeſtum, & nunquam ſanguini aſſimilatum, neque per repetitos circuitus in naturalibus pororum diſpoſitionibus ſecretum, in glandulis meſeraicis hæreret [modus etenim inſinuationis in Sanguinem cum horripilatione in lumbis, & ſcapulis, ubi ductus Thoracicus vaſa Chylolymphica excipiens excurrit] an potius ex detentis purulentiis in aliquo cęco ſinu communicationem cum Fiſtula non habente, qui tractu temporis ad turgeſcentiam radactus mediis orificiis vaſorum ſanguiferorum, in abſconditam cavitatem hiantibus in Sanguinem migraret; Ut ait W*aldiſchmidt*, illis verbis: *Si atten-*

damus, quòd quoties portio de ſanie, vel pure Sanguini refluo, vel humoribus circulantibus, & ad vaſa lymphatica redeuntibus, admiſcetur, mixtio, & craſis totius Maſſę ſanguineæ turbetur. Poſteriori opinioni videbantur favere tumoroſitates in Pube, Scroto, & Perinæo, quę in fine erratici Paroxyſmi emollitæ, penitus evaneſcebant, duris tantum calloſis circa radicem Virgæ, & Fiſtulam Perinæi pertinaciter remanentibus.

Temporis tractus rem patefecit, dum pluries recruduerunt erraticæ Febres, quin in affecta Parte nullus pręcederet Tumor, nullæ inflammationes: Quare inconcuſſa ſtetit opinio, ab occultis Viſcerum, & Glandularum ambagibus excrementitiis ichoribus ad plenitudinem ſaturatis, fodinam Febrium ſuppeditari, in quarum poſtea occaſione, cum univerſali Sanguinis deſpumatione, etiam Tumores inflammatorii miteſcebant, & criticè judicabantur.

Aprilis tamen undecima, ceſſante hyemali aeris conſtitutione, aſſiduo per quadraginta dies diſtillati nutrientis uſu à continua Febre, & tabe in dies magis, magiſque liberatus refectis Viribus, in Vultu minus aduſtus, & carne turgidus videbatur. Immò quieſcentibus ſpiritibus, qui ex partis affectæ violēta Fibrarum oſcillatione in motus inordinatos ciebantur, nutritivis moleculis ad Vaſculorum parietes placidè reſtitantibus, perfecta nutritio abſolvebatur, ita ut Maſſa Cruoris primigeniis, & balſamicis pollens qualitatibus, novam parvi ſinus ad radicem Penis coalitionem moliretur; Quapropter Balſamicis etiam extra adhibitis, & plurimùm contribuentibus, perfectè conſolidatus eſt.

Solus itaque remanebat ſinus fiſtuloſus ſatis amplus in Perinæo, qui tunc temporis, non alioquin tractabatur, quàm conſueta cannula plumbea, ad

faci-

faciliorem Urinæ, & ſanioſæ ichoroſitatis tranſitum, cum hac tamen differentia, quòd purulentiæ à depaſcente per totam Urethram Ulcere productę, & à lymphatico Proſtatarum latice auctæ, continuo, & perenni fluxu citra voluntatis imperium defluebant; Urina verò ad libitum ſecernebatur, quia Urethræ foramen poſt Sphincterem Veſſicæ, & duobus digitis transverſalibus ab ipſo diſtans occurrebat. Natura nihilominus, quamvis à tot, tantiſque ærumnis conflictata, & attrita aliquam ſpem futuræ Victoriæ pollicebatur; Nec abſre, ſi etenim in noxia Hyeme tabes ſuperata, vires reſarcitæ, & parvus ſinus ad Penis latera conſolidatus eſt, potiori jure in fervidiore aeris conſtitutione, opitulante decocto ſudorifero, ſub exacto diætæ regimine poterat vaticinari reliquorum ſymptomatum miteſcentia, immò omnimoda antiquatæ Luis profligatio.

Contigit id *Aprilis* menſe, in cujus fine novum quoddam Febris genus exortum eſt, cum veſpertina invaſione ad normam tertianarii circuitus ſibi correſpondente, quæ cum in dies incrementum ſumeret (cum Partis affectæ torminoſa inflammatione ſupra ſiniſtrum Teſticulum ſuppurationem minante, corniculum etenim vehementer dolens à baſi ſurſum gracileſcens prominebat, quod in nullam partem dimoveri non poterat), congruum viſum eſt Aſſidentibus tertium Profeſſorem ſeligere. In Conſilium itaque vocatur eruditus *D. Bartholomæus Verdura* Vir Meritiſſimi Nominis,Prudentia ſingularis, & inter Medicos Brixienſes ſpectatiſſimus. Morboſa iterùm ſeries in medium adducitur, Viſcera naturalia tractantur, quæ in regione Hepatis in obſtructiones ſenſibiles dureſcebant, reliqua ſymptomata minutim examinantur. Poſt varias hinc inde

de-

decerptas indicationes ſentit *D. Sala* phlebotomiam ex Salvatella eſſe inſtituendam, ut dempta Sanguinis portione, & faciliori reddito reliqui cruoris progreſſivo motu, in inteſtino in ęſtum non abriperetur, & ſecretiones ſuccorum in Viſceribus inſtituendę perfectè abſolverentur. Annuunt Reliqui, ea potiſſimùm ratione inducti, quòd emollita Fibra, nec amplius cruor anguſtis coercitus limitibus curſum placidè redintegraret, febrilis Orgaſmus miteſceret, & exinanitis Vaſis ſanguiferis pars inflammata minùs præmeretur; In quem finem etiam externè in tota ſcilicet Pubis, & Scroti regione frequentibus fomentis, & continuis emplaſtris fovebatur. Sequenti mane teſtibus Medicis, quibus, & ego de more adjungebar, ſecta vena manus dexterę exit Sanguis, adeò floridus, & rubicundus, ut nec malam qualitatem, nec inflammatoriam indolem redoleret. Febris

bris tamen breviſſimo dierum intervallo evanuit, & Scroti Tumor, qui ſuppurationem fuerat minitatus, omninò annihilatus eſt.

His feliciter peractis, eò unicè collimabat Adſtantium Animus, ut tollerentur obſtructiones, quæ à præteritis probabiliter Febribus ſuam nanciſcebantur originem, ſicque effectus in cauſam Morbi radicalem tranſierat: Quòd ſæpiſſimè ſolet contingere, & præcipuè in continuis efferveſcentiis, ubi non ſemper ad Naturæ leges in ſecretoriis pororum diſpoſitionibus ętherogeneæ fermentatę particulæ ſeparantur, ſed errante fluidorum mechaniſmo, vel ob Sanguinis tenuitatem, vel ob evaporationem Spiritus ſalino volatilis, cui fluxibilitas debetur, partes fixæ, & tartareæ in aliquo Viſcere decumbunt. Dubium fuit, utrum chalybeata, an potius Rhabarbari tinctura exhiberetur. Sed ratione ignei habitus vi-

guit

guit Opinio exhibendi *Syrupum cachecticum Fernelii* alternis tantùm diebus in quantitate *iii. unc.* In hoc ſtetit per viginti dies,donec tertianariusCharacter, quaſi abolitus, Hepatis, & Hypocondriorum regio perfectè emollita videbatur. Quapropter ad diſpoſitionem futuri Sudoris,quem tunc inæqualis temporum viciſſitudo prohibebat, laudavit Eruditus *D. Verdura* uſum Oxymel.Bened.querc. ad exilium obſtructionum, ſi quæ remanſerant, reſerationem. Par fuit voto eventus; Succeſſiva etenim per intervalla catharſi Corpus per epicrasym ab omnibus excrementis perfectè expurgatum eſt.

Jam ſatis, ſuperque humoribus evacuatis, & diſpoſitis, reliquum eſt,ut alexipharmacum penitus extirpativum proponatur, ne in tam favorabili aeris conſtitutione legitima, & neceſſaria Luis curatio procraſtinetur; Quam abſolvendam decocto ſudorifero ſtatuunt

ut

ut recrementis æterogeneis, in carnoſis receſſibus radicatis, vì Hypocauſti expreſſis, aucta ope caloris Fibrarum vellicatione Viſcera à Gallico contagio liberentur.

Et ne inconſultum, atque periculoſum hujus remedii regimen videatur, ſciendum opportet, quòd N. P. à tabe jam liberatus viribus pollebat, & non niſi per intervalla à Febribus tantùm depuratoriis vexabatur, quæ & ipſæ à criticis per ſudorem evacuationibus judicàbantur. Solus itaque obſtabat igneus habitus in temperamento calido, ſicco, & aduſto ab efflореſcentibus puſtulis ad ambitum Corporis, manifeſtato; qui ab immodica vì caloris undequaq; prementis poterat in flammam exſurgere, & in novas excandeſcentias proclivis Naturam, & Medicos ab attentato opere deludere. Quòd tamen in meditato regimine non poterat contingere, quia non ultra coctionis gradum,

nec

nec violenter partes æterogeneæ e ſuis tubulis erant excutiendæ, ut ad ambitum Corporis cum Sanguine arterioſo ſub Sudoris forma ſecernerentur, ſed Methodo intemperiei partium carnoſarum accomodatiſſima, hoc eſt *à blando, & humido calore Fibrarum genus debet affici*, ut Maſſa cruoris quàmvis rapidiùs, regulariter tamen circulante, ſeroſus latex ad anguſtiſſimas uſque arteriarum appendices propellatur.

Modus autem operandi, & qua mechanica opus abſólvatur, videantur *Williſius Phar. rat. p. i. ſ.* v. *c. i. &c. Wedelius de cog. Med. facul. L. ii. ſ. ii. p.* 170. Ab ulteriori etenim indagine jubet abſtinere brevitatis ſtudium; Sufficit namque remedium adhibuiſſe, quod Autopsìa, & rationalis indicatio flagitat. Porrò, ſi à Mercurialibus abſtinendum eſt, ſolum decoctum ſudoriferum ad Luis extirpationem aptum natum videtur, eòquod in Lympham ſpecialiter a-

gens

gens coacervatas ſordes faciliùs abſtergit, & foras eliminat. Quod ſupponit Clariſſimus *Chriſtianus Vater Wittebergens. Diaphoretica ſunt evacuantia univerſalia, quæ non minus ac purgantia, diuretica, ac ſalivantia generoſa univerſam Sanguinis, & Lymphæ Maſſam, ac conſequenter totum Corpus à ſuperfluis, & recrementitiis humoribus liberant. Materia quidem, quam principaliter evacuant eſt latex, ſeu aquoſitas, ſub cujus ſchemmate tamen recrementa varii generis, & præcipuè Gallica excluduntur, & reiiciuntur, nec ſemper volatilia, ſed etiam craßa &c.*

Sed, ut ad propoſitum revertar; Tota difficultas in eo erat ſita, ut ſtatueretur modus, quem in provocando Sudore tenere deberemus. Cogitandum autem diu, quod ſtatuendum ſemel. Jam erat in promptu humidum Æſtuarium ex ligneis tabulis compactum, & bullienti aqua calefaciendum [ſicca verò,

præ-

præterquàmquod laborioſa ſunt, in corporibus ſiccis uſurpari non debent]. In parte anteriore ſufficiens aderat Porta ad Patientis ingreſſum, quem commodiſſimum ſedile excipiebat, ut brachia attollere, & pedes extendere potuiſſet. Nova iterum feneſtrella è directo Faciei occurrebat, ut aliquibus inſpirationibus liberi, & puri aeris interdum refocillaretur. Sed, quæſo, ad quid tantus apparatus, ſi in lecto decumbens totum negotium poterat abſolvi? Hoc eſt mediantibus Doliolis aqua calida repletis, & manu tractabilibus, ut, vel appropinquando, vel diſtrahendo calor juxta neceſſitatis exigentiam, & augeatur, & remittat. Sanè calor hujuſmodi Naturam ſubjecti debebit ſapere, & ſi non aliter, quàm ab aqua effluvia calida ſcaturiunt, probabiliter licet colligere talem methodum partium carnoſarum texturæ ſe planè accomodaturam.

Ad

Ad perfectum etenim ſudorem eliciendum tria requiruntur; I. ut Sanguis plus ſolito, & alacriùs circuletur; II. ut abundè ſcateat particulis aqueis, iiſque ſolutis, ac facilè ſolubilibus; III. ut Pori corporis ſatis patētes ſint. Cumque tres hæ conditiones ſtatum naturalem excedant, cavendum diligenter, ne nimis ęſtuante cruoris mole, & hiſcentibus poris, etiam partes ſpirituoſæ, & nutritivæ reſolvantur.

Ut tamen omnibus difficultatibus obviam irent oculati Adſtantes, in Conſultatione primo *Julii* mutuis ſermonibus collata ſtatuerunt; Primò, quòd in uſum poneretur decoctum ab Eruditiſſimo *Leali* habitum in Conſultatione pag. 53. cum duplicata tamen Doſi Sarſaparillæ, utpote, quæ temperatior, & moderatè calida. Secundò, quòd aſſumeretur horis matutinis jejuno Ventriculo juxta monitum Clariſſimi *Sylvii Deleboe pag. m.* 440. Tertiò, quòd

nullo

nullo pacto purgantia admiſcerentur, ſed ſtatis tantum intervallis, ad ſaburram craſſiorum humorum educendã, mitiſſima catharſis inſtitueretur; Nec valet illatio Recentiorum aliquas difficultates affectantium, ſcilicet Naturam non deberi in diverſos motus cieri ope purgantis, & diaphoretici. Sciant tamen illi Medicarum diſputationum Ruſpatores, hìc non agi de Catharticis vì ſtimuli, hoc eſt expanſiva pollentibus. Unde talia ignorantię figmenta ad *Herculem Saxonia Tract. de Lue Venerea pag.* 17. *& Sennertum L. vi. P. iv. pag.* 250. lubens remitto. Quemadmodum quęſtio, ut ait *Verulamius*, per diſputationes non tollitur, ſed figitur.

Victus ratio difficilem conventionem cum N. P. permittebat; A voraci etenim appetitu continuò exercebatur ab acidis forſan particulis in ſero liquatis, Lymphamque ſumma aciditate depravantibus, quæ continua Membranarum

Ventriculi vellicatione famem producebant; Unde inſiſtendum in mediocri victu, ſcilicet nec tenui, nec pleno cenſitum eſt, in columbis turriculis, carnibus Vituli, vel Pulli junioris, potiùs elixis, quàm aſſis, pane biſcocto, Nucleis Pinus, paſſulis, amygdalis torrefactis; Sed jam Manum de tabula hac ipſis Tonſoribus nota.

Iulii ſecunda una circiter hora ab aſſumpto decocto, doliola aqua calida repleta ad latera Patientis apponuntur, ſuſpenſis prius ſtragulis ab arcta exilium lignorum Compage, ut calor undequaque æqualiter pręmens feliciùs opus abſolveret. In horæ quadrante totum Corpus blando calore afficitur, ita, ut hiſcentibus poris ſudor ſenſim prosiliat, novas ſemper à tergo ſuppetias Maſſa Sanguinis afferente. Ita etenim miliares Glandulæ ſunt diſpoſitæ, ut, dum Cruor ex arteriis per capillaria in Venas abit, ſubtilior ſeri portio à complexibus

San-

Sanguinis liberetur, quòd naturæ pororum,&corpuſculorum eſt tribuendum.

Poſt ſemihoram abit in propinquum lectum de more calefactum, ubi madefacto induſio,& ceſſante rapidiore Sanguinis circulo Maſſa fluidorum in naturalem abiit conſiſtentiam, jamque relegata ad ambitum Corporis materia ab inteſtino tumultu perfectè quievit. Siquidem à peracto Sudore fluida recentia, ac vix novo Charactere induta, leviſſimo etiam motu in excandeſcentias ſunt prona, Anni tempore, & peculiari conſtitutione ad hoc opitulantibus.

In Prandio moderatè ſe exercuit, ſuperbibendo vini ciathum; In reliquis ſitis continuò fallebatur decocto ſecundario,& interdum potu *Thee*, vel *Caffè*, quos ſudantibus *Waldſchmidt* T.I. Inſtit. med. rat. pag. 108. ambabus largitur manibus.

Tertia die ſudavit per horam ſolidam, ultra cujus limites, neque in poſterùm

non erat prætereundum, ne cum nimio Sudore vires deicerentur. Quod tamen in contrarium, Deo dante, ſucceſſit; Spatio etenim decem dierum nocturnę ebullitiones, & dolores articulares Venereum miaſma in Viſcerum folliculis deliteſcens præſeferentes penitus evanuerunt, & quod admirationem inducebat, Vires in dies adeò reſſarciebantur, ut horis promeridianis e lecto exſurgens per Cubiculum læta fronte, & conſtanti animo in Amicos affabilis vagaretur.

Carunculæ nihilominus, ut pote quę carnoſam, imò potiùs calloſam ſubſtantiam nactæ ab humido Æſtuario, nec emollitæ, nec diminutæ, ſolita incommoda in parte inflammata efficiebant, & per conſequens Urina à recto tramite ſemper devia in carnoſa interſtitia ſibi viam aperiebat cum Tumoribus, nunc in Scroto, nunc in Perinæo ſuppurationem molientibus.

Inte-

Interim renovata purgatione, & craſſioribus excrementis evacuatis ſequenti mane ſub incæpto regimine inſiſtimus, Sudorem nempè promovendo non ſolum Doliolis ad utrumque latus, ſed etiam ignito latere panno obvoluto, & divaricatis Cruribus Scroto, applicatis. Fluit conſuetus ſudor affecta excepta parte, quæ à callo, & inflãmatoriis Tumoribus adeò obduruerat, ut impedita Fibrarum oſſillatione ſudor exprimi non poſſet. In reliquis ſudor ex voto ſuccedebat, cum univerſalium ſymptomatum miteſcentia, & peregrinarum qualitatum attenuatione, ita, ut Domito Luis genio, & reſeratis Glandularum anfractibus Fluida, & ſolida æquali niſu Naturę legibus obſiſtebant, & tam fermentationes, quàm ſecretiones perfectè abſolvebantur.

In hoc ſtatu rerum, labente menſe *Julii*, quo per vigintiquatuor dies in humido Æſtuario ſteterat, & jam emer-

gentibus optatæ Valetudinis primordiis ad Partem affectam totis viribus erat incumbendum, ne ſuperveniente brumali Frigore Caruncularum extirpatio de medio tolleretur. Opus ſanè difficillimi eventus à multis Auctoribus propoſitum, à paucis abſolutũ. Quàmvis phyſica res ſit Caruncularum generatio, modus tamen curationis ſub denſa caligine obvolvitur, & veluti alta Nocte latent repoſita apta Alexipharmaca, cum difficilè admodum ſit eò remediis Chirurgicis collimare, quò oculorum acies non pervenit. Nihilominus eradicationis modum ſollicitus inquiram; Aliorumque Placitis, pro viribus, examinis incudi ſubactis, methodum cum N. N. adhibitam ingenuè dilucidabo.

Scio etenim paſſim à *Nurſinis*, & *Circumforaneis* curationem Caruncularum tentari, ſed ſemper pęnitenda opera, dum luſcorum more in tenebris

palpitant,

palpitant, & ſine prævia morbi, vel medicaminis cognitione unum ſemper arcanum crepant, & nefariè in Genus humanum graſſantur. Nihilominus magni habentur ab ipſis interdum Magnatibus, qui à ſermonis ſuavitate, aut novis verborum lenociniis allecti Methodum irrationalem approbant, & commendant. Hinc, fateor, non obſtupui, ſi N.P. ab Arcanorum formulis, & candelarum ferragine munitus Caruncularum extirpationem irrito ſemper conatu tentaverit. Si etenim omnibus innoteſceret, quantum uniuſcujuſque Idioſyncraſia ab alia diſſentiat, tam ratione ſtructuræ Viſcerum, & compagis partium ſolidarum, quàm mixturæ fluidarum, eamque cognitionem non niſi à rationali Medico poſſe adſiſci, non tam facilè ſe empyricis Agyrtarum Manibus committerent; ſed, incidimus in mala tempora, *ea ſiquidem eſt noſtri Ævi infelicitas, ut amet decipi, ad*

meliorem viam reduci impatiens, ſoliſque fucum facientibus plurimus honor, & maxima præmia parentur. Sed ad rem.

Carnea omnis excreſcentia, tam à nimia Seri copia, quàm ab abundanti ſucci nutitii proventu genita ſub nomine Hyperſarcoſis venit, quæ tamen ſi in Meatu urinario contingat peculiari, & ſpecifico titulo ſuperbit, & caruncula, vulgò (Carnoſitas) appellatur. Ferè ſemper diuturnæ Gonorrheæ ſuccedit, ſi fidem meretur Clariſsimus *Ettmullerus Tract. de læſa ſeminis excretione lib.2. pag.793.*, eò quòd ſublata à continuo ichoris virulenti effluxu tenuiſsima epidermide Ulcus adnaſcitur, quod ſecundum diverſas ſolidi reſiſtentias, & contagii activitatem per Urethram ſerpit, & carneam ſubſtantiam depopulatur. Quare *Natura* in nova carnis geneſi *plùs juſto occupatior*, ut verbis *Sydenamii* utar, *laxam quandam, & ſpongioſam ſubſtituit*, quæ ſucceſſu

ceſſu temporis callum contahens Urinæ ſuppreſsionem inducit, & Pubis, Scroti, & Perinæi inflammationibus, & ſucceſsivis Fiſtulis anſam præbet.

Talia propemodum ſymptomata N. P. exercuerunt, ut jam pag. 25. innuimus, & quàmvis *Joanni Baptiſtę S. Marie* Chirurgo Gallo viſum fuerit curationem Fiſtulę precedere debere extirpationi Caruncularum, [quod N. P. fatetur, & continuus, ſemper incaſſum, balſamicorum uſus probat], nihilominus ſtetit Opinio Patris mei à ſolidis veræ ſcientiæ fundamentis fulta, ſcilicet exordium ſumendi à Carunculis, quæ Urinæ tranſitum impediendo coalitionem labiorum Fiſtulæ impediebant; Si etenim ex Mechanica neceſsitate lotium, qua data porta, debet fluere, omni in Arte verſato patebit, impoſsibilem eſse curationem Fiſtulæ ſine prævia extirpatione Caruncularũ, ad quam perficiendam Hoc opus, hic labor.

Agen-

Agendum ſiquidem eſt in parte delicata, Fibris undequaque trasverſis, & tenuibus aſpera, connexionem habens cum præcipuis partibus ad inflammationem pronis; Unde facilè à fortioribus exedentibus, vel cauſticis irritatur, levioribus verò non cedit. Præterquàmquod remedia commodè nequeunt applicari, & præcipuè ſi Carunculæ ad Veſsicæ collum pertingant, vel penitus obſtructo Meatu cereæ candelæ perforationem impediant. Dum ſi medio Siphone corroſiva medicamenta intrudantur, Urethræ ſubſtantia in medio corporum nervoſorum ſita, & Textura rara, laxa, & molli prædita magis offenditur; Si verò ſummitati cereæ candelæ exedens ceratum incorporetur, ipſo vix immiſſo, dum Penis hinc inde dilabitur, ab obſtaculi contactu ſecedit.

Augetur periculum, quia Carunculæ quàmvis calloſæ, nullo tamen modo

do amputationem permittunt. Quidquid jactitet *Ambroſius Pareus pag. 548. & 549.* illis verbis; *Carunculæ exaſperandæ ſunt, excoriandę, & atterendæ cathetere plumbeo, extremo ſuo ſurgentibus aſperitatibus, limæ rotundæ inſtar, ſcabro; Immiſſum illum in Urethram Catheterem tamdiù verſabit iens, rediensqne, toties eandem viam Chirurgus, quàmdiù, & quoties ipſis comminuendis, & atterendis neceſſe videbitur, & paulò infrà: Poteſt dimitti ductilis argentea virgula extremo ſuo rotundo exciſoria &c.* Sanè ſi Erudito Viro in re Chirurgica cæteroquin meritiſſimo nota fuiſſet tenuiſſimæ affectæ Partis conſtitutio, quæ levi quavis occaſione, (ne dicam limarum ſcabritiæ) irritata inflatis corporibus nervoſis intumeſcit, & aucto ſuccorum affluxu ad inflammatorium Orgaſmum diſponitur, in lethalem Urinæ ſuppreſſionem abiturum. Methodo, adeò crudeli in audaciam ju-

vandi

vandi manum non præcepitaret. Quò ad me ero ſemper humanioris experimenti Diſcipulus, & in ipſo ſolius Naturę faciem ſpectabo, quæ non mero ingenii luſu mentitur, ſed ingenuè docet per neceſſarias leges, quo tempore, quo loco, & quæ remedia ſubſiſtant.

Siquidem Carunculæ molles, & laxę, & dimidiam circiter Urethrę cavitatem obſtruentes facilis ſunt curationis, dum mitiſſimis excedentibus, cedunt, & ſucceſſivis exſiccantibus ad cicatricem feliciter perducuntur. Antiquæ verò, grandiores, & calloſæ, de quibus in Pręſens inquirimus, maximũ Negotii Chirurgis faceſcunt, dum exedentia, niſi ſummè activa reſpuunt, & ſemper magna difficultate atteruntur.

Nihilominus à blandis ſemper eſt inchoandum ut egregiè ſuggerit *Carolus Muſitanus Tract. de Lue Venerea pag.* 71. *ſcilicet balneis rad. lil. alb. alth. ſem. fenug. rad. Bryon. fęnic. Facto inceßu renovando*

novando per aliquot dies Cataplaſma ex ſupradictis Materialibus contuſis, & trajectis, add. But. axung. ſuil. Ung. baſil. Adip. Hum. &c. quæ apud Auctorem poſſunt videri . Taliter emollita Caruncula, videtur meliùs attenuari à contactu remedii corrodentis, quod mediante Candela cerea ad Carunculam , immittitur.

Tranſilirem limites Mihi ipſi poſitos, ſi omnia recenſerem remedia, paſſim ab Auctoribus adhibita, ac omnem operandi Methodum explanarem ſingulatim. Nihilominus, ne opuſculum mutilum, ac mancum videatur, ſto promiſſis, omneſque medicamentorum formulas, etiam pro arcanis habitas , quas diligenti examine potui haurire , breviſſimo conatu in medium proferam.

Joannes Fortis cent. 2. p. 454. pro arcano habet pręcipitatum in Porphirite lævigatum unc. i. vin. opt. unc. iii. m. repon. in

olla

olla terrea vitriata ad lentum ignem, & ſpatula agitentur ad conſumpt. ſpir. vin. Præcip. excic. & pulv. & rurſus in Porphirite lævigato uniatur cer. Gratia dei unc. iv. Frigeſ. & ſummitati Candelæ unito in Urethram immittatur.

Hercules Saxonia Tracta de Lue Venerea in fine pag. 23. ait. Docebo vos linimentum, quod pro ſecreto Quidam habent in his caſibus, & eo ſatis feliciter utuntur. ℞. Pręcip. benè præp. unc. i. Merc. ſublim. Plumb. uſti aa. dr. i. axung. ſvil. unc. vi. Cer. alb. veteris dr. i. ſ. Camph. ſc. ii. S. A. ad firm. Ung. præp. Hoc medicamentum adminiſtratur per Candelas, carnem erodit, & ſordem tollit.

Dolæus in Encyclop. Chi. rat. Lib. iii. cap. v. de morbis Veſſicę, & Meatus urinarii pag. 647. utitur Fiſtula aurea, argentea, vel plumbea optimè lævigata, & per eandem pulveres conſumentes immittit ex alum. uſto, erugine, Mercurio rubro, Sulphuræ, & Sabina. Abſumptis

excre-

excreſcentiis ulcuſcula relicta ſanat lapis Calaminaris, Terra Vitrioli dulcis, ſigillata, Lytarg. Plumbum uſtum, Tutia, Camphora, vel empl. diapomph. Interdum fit Maßa ex viride Æris, & Mercurio ſublimato, ut uidere eſt in Eph. Ger. ob. 92.

A Riverio comendatur ſequens linimentum à ſupracit. Dolęo com. ℞. Ol. roſ. lib. ſ. Ceruß. ver. unc. ii. Camph. tut. aq. roſ. lotę aa. dr. ii. Lytarg. auri unc. i. ſ. Opii, thuris, maſt. alo. epatici aa. dr. i. m. oĩa ſer. ad uſum.

Clariſſimus D. Stalpart quatuor homines, quibus tota ferè erat occluſa Vretra, ita, ut per anguſtiſſimum tantum efflueret Vrina foramen, ſequenti curavit remedio ℞. Oſſ. ſepiæ tut. præp. aa. dr. ii. c. c. uſt. Al. lot. Ariſt. rot. aa. dr. i. Alum. uſt. unc. ſ. m. f. pulv. cum ol. roſ. & Lyt. aur. incorp.

Antonius Fucheſius Medicus Norimbergenſis utebatur oleo ſuccini cum uitello ovi comminuto, & Io: Heurn. ad Aphor. Hipp. 82. ſect. iv. ſummis laudibus extol-

lit

lit ol. cucumeris aſin. remixtum cum ung. roſ. cui parva grana ſublim. vel præc. ad. Uſque in præſens citati Auctores.

Liceat nunc mihi cum diligenti penſitatione examinari Methodum ingenioſè excogitatam à *Hieronymo Fabricio ab Aquapendente Tractatu de auferenda Caruncula è Meatu urinario pag.* 270. Vult etenim ipſe, quòd, immiſſa in ſummitate argentei Catheteris cannula ex *linteo cerato* facta, & peculiari medicamine oblinita, in Meatum urinarium, *longitudine digiti tranſverſi* latitudine, quę canalē adæquet ſupra Carunculam placidè relinquatur, ut per ipſam exiens Urina remedia non abluat, & Opus impediat. Tale repertum videtur abundè approbari à *Sennerto* Inſtit. Med. cap. de Rebus præternat. pag. 689. cujus verbis in Armamentario Chirurgico *Sculteti pag.* 150. *&* *tabul.* 40. propriis, & ſpecificis Figuris demonſtratur. Nihilominus, quàmvis hæc inventio Clariſ-

ſimo-

ſimorum Virorum auctoritatem ſapiat à Manuali executione relegandam cenſeo; Nam præterquàmquod uni tantùm Carunculæ poſſet applicari; quis neſcit cannulam ex ſinteo ceream ope caloris ingeniti momento temporis in mille plicas contrahi difficiliorem potiùs mictionem inducturam? Et dato, etiam, quòd non criſparetur, quomodò ad Carunculas actu truſionis ſine errore perveniet, quomodò ſupra ipſas placidè quieſcet? Si cęco adeò contactu in obſtacula catheter occurit, ut delineatas mēſuras effugiat, ſicque tenuiſſima, & brevior cannula propter Caruncularum niſum ſpontè ſecederet, & ſanæ Urethræ applicata inutilis, & inofficioſa maneret.

Hac data occaſione, libenter exiberem Methodum noviſſimam, quam Mihi autumnale Ruris otium, & frequens de hac materia meditatio ſuppeditarunt. Attamen cum adhuc à continua praxi non ſit excuſſa, nec à peritis

Chirurgis confirmata, lubens ſuperſedeo, in futura exercitatione Chirurgica de Fiſtulis Urethræ ipſam publici Juris facturus.

Verùm, ne à Scopo aberrem, redeundum mihi eſt ad inveſtiganda Auctorum Arcana, potiùs ſibi ipſis viciſſim mutuata, quàm inventa. Ad Carunculæ extirpationem *Draco mitigatus* commendatur à *Muſitano*; *Stercus humanum*, & *caninum à D. de Mayerne*, & *Alexio Pedemontano*: *Mel in cinerem uſtum add. præcip. & viride æris à Sculteto*: *Sabina*, & *Portulaca ab Aqua pendente*: *Aqua viridis à Lanfranco*, *quæ à Thoma Burnet pag.* 332. *deſcribitur. Auripigmentum, viride æris, vitriol. Alum. roch. acet. perf. & in duos Porphirites lapides ducta ab Amato Luſitano. Solùm præcipitatum à Roderico à Fonſeca: Pulv. Helleb. nigri, ſal. Cal. viu. Aqu. fort. Chimi. à Franciſco Peccetio.* Cætera apud reliquos Auctores poſſunt videri;

ri: Alter enim de altero participat.

Hac in re tamen ſi fides adhibenda eſt *Amato Luſitano cent. iv. pag.* 432. *&* *Sennerto Lib. iii. Part.* viii. *ſect. i. pag.* 590. plurimùm videtur emicuiſſe *Lacuna* quidam in re Medica non infimæ Sortis Auctor, qui libellum Romæ edidit, gloriaturque ſe arcanum ſequens recepiſſe à *Philippo* Auctore magni Nominis. ℞. *Cent. mi. Apii. caud. equin. aa. m. s. Hord. cont. unc. i. coq. in aq. lib. ii. ad conſump. partis dimidiæ. Coll. add. mell. roſ. unc. ii. & per Siphonem iniicito*; Per aliquot dies ſicca cerea Candela immiſſa, tandem cicatricem ſequenti tentavit injectione. ℞. *aq. plant. Roſ. aa. unc. iv. ſeri lact. capr. unc. ii. Ceruſ. unc.* vi. *Alum. roc. Marm. candidiſſimi, Spodii, Chryſt. aa. dr. i. s. Camph. ſcr. i. Arida terantur accuratiſſimè cribroque excuſſa tenuiſſimo humidis diligenter miſceantur.* Periculoſum tamen hujus remedii Regimen videtur propter pulveres lapideos, qui ſi

cavitatem Veſſicæ ingrediantur, propter difficilem extractionem, ſæva ſymptomata ſolent efficere. Quare ait *Luſitanus*: *Caueant igitur Medici Artem exercentes, ne quid calculoſum, aut arenoſum, lapidoſum-ve per urinariam fiſtulã impellant, cum periculoſum admodum ſit Opus hoc, & in perniciẽ Ægrotos trahat.*

Inter alios fundamentaliter egit in hac materia *Gabriel Fallopius Tractat. de Tumoribus pag.* 106. Cap. de Caruncula ſubcreſcente in canali urinario, & in cereæ Candelæ imbecillitate aſſerit poſſe in uſum poni *Virentes Iuncos*, in quorum *aculeo* portiuncula Unguenti ponatur tenoris ſequentis. *Arſenicum chryſtallinum ſupr. lap. Pict. cum ſucco limonum agitetur, quater ſub ſole ſiccetur, & ſtillatitio aceto ſingula quaque vice diluatur, & cum ol. & cer. f. ung.*

Nihilominus, & ipſe in principio Tractatus laudat præcipitatum, vel parum *Ægyptiaci* cum mod. ceræ, & olei. Videatur

deatur

deatur *Rodericus à Fonſeca* conſul. 15. *Quàmvis*, inquit, *varia proponantur Medicamenta pro conſumendis Carunculis tamen præcipitatum primum locum obtinere videtur*, & paulò infra: *Nullum præſtantius eſt Argento vivo præcipitato, & Calcinato*. Quid plura: inſignis ille *Petrus Gallus Venetijs* degens, qui ab ipſo *Fallopio*, & *Alexandro Maßaria* pag. 492. tot laudibus decoratur, eò quòd non ſolùm Carunculam auferebat, verùm etiam ulcus factum perfecta cicatrice obducebat, non ne ipſo præcipitato utebatur? Et ne quis forſan pro figmentis, & mero ingenii luſu habeat, quę modo de *Petro Gallo* aſſerui, ſciat me in quodam Manuſcripto Avi Mei Medicinam Chirurgicam Bergomi profitentis reperiiſſe formulam medicaminis à Sereniſſimo Duce Parmæ habitam, & proteſtatione donantis inſignitam ſe illam recepiſſe à *Petro Gallo*, olim *Venetijs* incola, cujus ſequens eſt deſcripto

℞. Ung. ceruſ. camph. dr. i. de Tut. Jo: Vigo. ſin. ſuc. dr. ii. pręcipit. rubr. ſubtil. pul. q. ſ. ad Maſſam rubeo colore tingendam.

Patet igitur ex accurato prædictorum omnium examine omnes Auctores in eam deveniſſe ſententiam unicum præcipitatum Herculei hujuſce morbi eſſe remedium, ęqualiter aptum, tam ad Caruncula attenuandas, quàm ad cicatricem feliciter inducendam, cum hac tamen differentia, quod actu eroſionis debet aſſociari aliis exedentibus, nunc acribus, nunc moderatis (argentum etenim vivum vult duci, non cogi) pro ut Caruncularum reſiſtentia requirit; Actu verò exſiccationis, in minore doſi, cum balſamicis, & exſiccantibus, ut tenuiſſima Urethræ Membranula denuò reſtituatur. Opus fateor difficillimi eventus, dum omnes qui à Carunculis ſe liberatos jactitarunt, cum pejori recidiva in Urinę ſupreſſionem inciderunt. Quapropter Magni facien-

dum

dum eſt monitum *Durantis Sacchi*, qui Libro in ſubſidium Medicinæ edito Tract.de Caruncula pag.45. vult, quòd poſt Carunculæ extirpationem per 40. dies geſtetur in Urethra ſpecillū plumbeum ponderis *unc.ii.* cum *dr.ii.* Argenti vivi amalgamatum. Sed talis durities, & pondus à parte delicata non poteſt ſubſtineri; Si tamen aliquis Satyrorum more vult incedere, remedium experiatur.

In refractariis interdum Carunculis vim uſitatorum exedentium effugientibus cauſtica magis potētialia poſſunt in uſum poni, ſed cum ſequenti circumſpectione.

Tubus vel argenteus, vel plumbeus in Urinæ meatum intromittatur poſſibilis craſſitudinis, quam ferat Urethrę latitudo; Cum ad obſtruentem Carunculam pervenerit, ſiſtatur ab actu truſionis, ne violenta preſſio Sanguinis Hemoragiam efficiat. Dua dein ſpecilla

in promptu ſint, quorum primum in ſummitate goſſipium habeat, alterùm verò cauſticum potentiale à *Lapide infernali*, ſi lubet efformatum. Primum, omnem, vel ichoroſitatem, vel Sanguinem, qui ad Caruncularum Salebras ſolet reſtitare perfectè, & repetitis, ſi opportet, vicibus emungat, qui quàmvis lapidis fuſionem promovendo exaltato Nitri ſpiritu, & aqua forti in aptiorem energiam excandeſceret, attamen quia liquatum vicinioribus, & delicatis quoque partibus noxam inferret, debet adhiberi in forma ad poſſibilitatem ſicca. Secundum verò ex Chalybe fabrefactum, per longitudinem digiti tranſverſalis in ſummo apice in duas laminas dividatur, ita tamen, ut tenuiſſimæ laminæ vi elaſtica ad ſui contactum nitantur, corpuſque cauſticum intermedium, adeò ſtringatur, ut nulla quavis impetus occaſione queat ſeparari. Tali modo ſpecillum in cannu-

lam

lam intromittatur, uſque ad Carunculæ contactum, opuſque per aliquot dies innovetur, pro ut perito Adſtanti videbitur.

Verùm, ut ad praxim propiùs accedam, ſi rationi, & tot experimentis ad debellandas Carunculas in Meatu urinario, præcipitatum conſonum videtur, qua de cauſa etiam in N. N. optatum effectum non reſpondebit? Ad rem igitur.

Pręparatas habuimus cereas candelas, non ſupra filum inſtructas, ut *Nurſini* aſſolent, ſed ſubtiliſſimo linteo cerato efformatas longitudine decem digitorum tranſverſalium, qui iter Urinæ uſque ad Sphincterem Veſſicę adamuſſim compenſabant. Facta itaque diligenti commenſuratione ad obſtacula, quæ in Meatu occurebant, coacti ſumus longitudinem trium digitorum tranſverſalium ab ipſa candela abſcindere; Ultima etenim excreſcentia omninò impene-

penetrabilis videbatur ; Quia forſan præter Carunculæ obſtaculum aſpera etiam aderat Urethræ inęqualitas propter rugoſam antiquæ exulcerationis conſolidationem. Quare in aliæ candelæ cereæ lęvigatæ mucrone pauxillum Cerati ad lentum ignem impoſuimus (quia oleoſa in truſione candelæ per totum canalem diſseminantur); Dein docente menſura, ad quam prima candela fuerat immiſſa novam portionem cerati coadaptavimus, quæ è directo ſecundęCarunculę reſponderet; Prima etenim in medio Glandis cęteris calloſior facillimè menſurabatut. Tres itaque occurebant Carunculę, ſingulæ calloſæ, & pręcipuè prima, quę triginta annos redolebat. Secunda minoris erat reſiſtentię, ſed ſenſus exquiſitiſſimi, dum ab aliqua exulceratione circumvallabatur propter perpetuam Gonorrhęam, cujus portio ad obices Caruncularum reſtitans, ſua virulentia con-

ta

tagionis ritu canalem inficiebat. Tertia,& ultima duobus digitis tranſverſalibus à Sphinctere Veſſicę diſtans plurimum Negotii faceſcebat, eò quòd totum obſtruens canalem ſolo candelę apice ſe attingi permittebat. Nihilominus, ſi portioni Urinę, quàmvis ſtillatim, occaſione mejendi dabatur aditus, licuit ratiocinari, etiam ceream candelam fore penetraturam. Sequenti igitur mane ſolitum ceratum ex pari quantitate Tut.Plumb. uſt. & Præcipit. efformatum iiſdem locis coadaptavimus, niſi quòd candelæ mucronem per ſpatium ſemidigiti transverſalis in ſubtiliſſimum filum redegimus, ut minima data porta faciliùs ſubingrederetur. Superatis primis duabus cum aliquo doloris ſenſu, dum ſummitatis aculeus in canalis parietes hinc inde occurebat, qùàmvis totus Penis ſiniſtra manu in honeſtam diſtractionem protraheretur, ad tertiam Carunculam perve-

pervenit; Ubi renovata blandi impetus reciprocatione cũ tolerabili dolore in tenuiſſimum Urinę Meandrum penetravit. Summa illico quies eſt impetrata, quæ partem ab omni motu tueretur, & ut membrum ſuper inquina placidè quieſceret, ne hinc inde dilabendo, candela à Carunculæ contactu deturbaretur. Per tres horas ſuſtulit remedium conſtantiſſimus Patiens, potiùs à quiete, quàm à dolore vexatus. Hoc etenim habet peculiare Præcipitatum, quod agit ſine dolore, ut ait *Burnet pag.* 329. Quod etiam præſtat pulvis Corroſivus *Philippi Maſieri* Chirurgi Patavini Celeberrimi, à me multoties expertus; Utrum tamen, & in ipſo præcipitatum latitet, promptioribus Ingeniis diſputandum relinquo.

Succeſſit immediata mictio plus ſolito majori Urinæ per Urethram gurgite, non quod tam citò remedium ſuam vim corroſivam exeruiſſet, (non

etenim

etenim tam inepta opinio me tenet) ſed à continua candelæ preſſione, quæ ſuum characterem in ipſa Caruncula figendo, liquido Urinario liberiorem tramitem permiſit. Intereà, ne Caruncula in priorem ſtatum converſa craſtinam operationem difficilem redderet, nova iterùm cerea cãdela eſt impoſita, nullo medicamine, ſed ſolo ol. amyg. dulc. oblita, ejuſdem ferè longitudinis, ut prima, & ejuſdem tenuitatis in ſolo apice, ubi difficilis penetratio ultimæ Carunculæ occurebat. Per reliquam longitudinem canalem perfectè adæquabat ratione latitudinis. Vix etenim credibile eſt, quantùm minori cum dolore geſtetur, & intromittatur candela, quę Urethræ parietes penitus impleat, quàm teuuis, & exigua. Mechanicè tamen hoc puto contingere; Quia dum Corpus Sphericum ex determinata magnitudine reſtringitur, quò magis ad punctum appropinquat, eò magis

gis

gis de plano deperdit, & de angulo veluti participans tenuiſſimis Urethrę fibrillis noxior evadit. Sed extra spheram non pergo, hanc litem agat, cui de meliori luto finxit præcordia Titan.

Noctem tranſegit N. P. ſine cerea candela in Meatu Urinario, eò quod tota die à nova intromiſſione vexatus, liberas voluit Noctis horas ad Corporis levamen, & ad partis quietem. Nihilominus ſummo mane eadem menſura tractatus per quatuor circiter horas à mingendo abſtinuit, & exedens Medicamen ad contactum Caruncularum permiſit; Tandem extracta candela obſervavimus in ſummo apice albã quandam materiam ſpecimen puris pręſeferentem; Quia tamen etiam à Superiori exulceratione purulentus ichor continuò fluebat, difficilè fuit cognoſcere, utrum ab ipſa Caruncula, aut à Superiori Urethræ foramine proveniſſet. Exitus dubium redarguit, die etenim

ſequenti,

ſequenti, quin candelæ mucro tenuvior redderetur, ultima quoque Caruncula ſine magno dolore perforata eſt. Sanè tunc victoriam cæpimus Canere, potiſſimùm explorando, quòd uſq; ad Veſſicę collum nullũ aliud occurebat obſtaculũ, quod curationem ulteriùs retardaret.

Itaque ſub incępto regimine, & eodem ſemper medicamine inſiſtimus, & pręcipuè in locis, ubi candela quandam veluti Carunculæ immaginem ſimulabat, hoc eſt ubi aliquantulum cõtuſa, & compreſſa Carunculæ contactum patiebatur. Immò ad imitationem *Franciſci Peccetii Cæleſtini Cortonenſis pag.* 476. illam cultri apice excavatam abundanti remedio ſaturavimus, ut energetica vì polleret in Caruncularum radicibus penitus extirpãdis; In quem finem etiam in dies candelæ ſemper majoris latitudinis in usũ ponebantur, ut aptiori niſu undequaq; Carunculas præmerent, quę in ſui de-

deper-

perditionem feliciter abirent.

Fateor tamen, multum erat Incommodi hæc repetita poſt mictiones intruſio, dum omnes Patientes ab hac operatione abhorrent, ſed alia via non poteramus incedere, quia adhuc non extabat methodus noviſſima æqualiter felix, tam in extirpandis Carunculis, quàm in curandis Fiſtulis Perinæi. Ipſam Benevolus Lector proxima exercitatione judicabit.

Interim omni mane candelam cerato imbutam inſerebamus, reliquis horis ſolo oleo oblitam, & poſt mictionem ſemper innovatam, ita, ut ab ipſa nunquam abſtineret, juxta monitum *Amati Luſitani cent. iv. pag. 429. Continuò Æger in Urinario Meatu inſertam habeat, neque abſque ea, niſi mejendi Tempore agat neceſſe eſt.* Illud ſolum laborioſam remedii inquietudinem demulcebat, quod candelæ, non ſolùm purulentis ichoribus, verùm etiam Caruncu-

runcularum ramentis indutæ excavabantur, ita, ut ſpatio viginti dierum, Urina recto tramite, & expeditè profflueret, candela abſque ullo impedimento in Veſſicam penetraret, aliquasq; mordicationes propter vivificata Ulcera N. P. perſentiret. Ut autem, ne à continuis medicamentis pars alioquin delicata exaſperaretur, blandis tantùm injectionibus per aliquos dies uſi ſumus ex ſolo lacte, aut aqua roſacea; Semper tamen candelam inſerendo, ita fabrefactam, ut in ipſa cera, in qua linteus candelas efformaturus dureſcebat plũbum uſtum, cum pauxillo Mercurii dulcis ſupra lapidem Porphirii ſubtiliſſimè pulverizatum confunderetur. Tali autem modo ulcera à conſumptis Carunculis relicta blandè ad exſiccationem diſponuntur, & ſucceſſivis balſamicis meliùs conſolidantur.

Tali regimine, Tumores, Scrotum, & Perinæum circumvallantes ſenſim e-

vanuerant, & quia parva Urinæ quantitas per Fiſtulam in Perinæum deſluebat, minori per conſequens niſu in ſinus latera impulſa in carnoſas partes non filtrabatur ſuppurationes inductura.

Oſtreaceus tamen Callus, qui undequaque, & præcipuè in ſiniſtro latere Fiſtulam circumducebat, uſque ad radicem Virgæ pertinaciter adhærens, ipſis combinatus erectoribus Penis Muſculis nullam, vel diminutionem, vel emollitionem referebat; Et quàmvis cum Urinæ diminutione ceſſaret potiſſima cauſa calloſitatis, nihilominus tali duritie erat ſtipatus, ut ſine remediorum auxilio ejuſdem attenuatio ſperari non poſſet; Eodem itaque tempore, quo in Urethram liquor abſterſivus ex Melle roſato ſimplici, & Hordei decoctione compoſitus iniiciebatur, qui quandoque etiam in Fiſtulam penetrabat, tale remedium quotidiè in ſinum fiſtuloſum immiſſum eſt ℞. *Alum roch. uſt.*

ung.

ung. ægyp.aa.unc.s.Vin.alb.auſt.unc.ii.m.

Cautè tamen primis potiſſimùm diebus ipſo utebamur, argenteuſque Sipho, nec plenus, nec violenta preſſione evacuabatur, ne obvio foramine, exedens mixtura in Urethrã penetraret, ubi mitioribus erat agendum; Etenim partim ab antiquato, & depaſcente Ulcere, partim à Caruncularum ablatione tenuiſſimæ Urethræ fibrillæ, adeò nudæ, & carnoſis veſtimentis ſpoliatę hinc inde occurebant, ut levi quavis occaſione in torminoſam diatheſim excandſcerent. Quapropter ad balſamica, & magis exſiccantia remedia deventum eſt, ſcilicet ad decoctionem *Rad. ariſtol. rot. & flor. Hyper. add. plumb. uſt. & corall. rubr. præp. & ſubtil. pulv.* Quorum uſu abiit omnis ardor, qui præſertim occaſione mejendi per totam Urethram deſæviebat; Ceſſarunt erraticæ inflammationes, quæ in regione Pubis, & Perinæi tot tragædias effecerant; Callus ipſe in dies

adeò diminuebatur, ut jam jam Sanguis è venis capillaribus ad deperditæ ſubſtantiæ repoſitionem, & diſtractarum partium unionem prolixiùs ſcaturiret.

Placuit nihilominus Adſtantibus, ut Fiſtulæ coalitioni præcederet lactis aſinini uſus, ut penitus obtuſis peregrinorum ſalium cuſpidibus balſamicam Maſſa fluidorum, & homogeneam texturam indueret, ſicque lacteis, & chyloſis pollens particulis Fiſtulę curatio tutiori tramite exequeretur. In quem finem ſe tranſtulit N. P. in villam *Sale* quatuor M. P. à *Brixia* diſtans in Collis radicibus ad meridiem ſita, & feliciſſimo aere perflata; ubi per totum Autumnale tempus diætam lacteam obſervando, refocillatis in integrum viribus in præſentiarum carne turgidus inculpata Valetudine fruitur. Remanet tamen Fiſtula aliquas plorans Urinæ ſtillas occaſione mejendi, quam proximo Vere ſequenti nova Methodo curabimus.

Adſit

Adſit Summus Opifex primitiis conaminum meorum, quæ, & ſi fortaſſe videantur Ingenii imbecillis abortus, attamen, ut ſpero, in humani Generis emolumentum prodibunt.

NOVA METHODUS.

EXERCITATIO MEDICO-CHIRURGICA

AGENS

Novam Methodum extirpandi Carunculas, & curandi Fiſtulas Urethræ.

ACcurus de Fiſtula ſuperfluum autumo, prooemii, & verborũ ambagibus, illius vel etymologiam, vel ſynonymiam enucleare: Quare ſtatim in ipſo limine aſſeram, Fiſtulam eſſe Sinum anguſtum duris, & calloſis labiis circumvallatum, qui in ſolidis omnibus occurens partibus, tam recto, quàm obliquo tramite ſe profundans humores nunc ſanioſos, nunc ſordidos plorat, pro ut diverſus coctionis gradus, & multiplex liquorum qualitas præpollet.

A multis cauſis ſuam originem nanciſcitur, quas in præſens enumerare præter

ter meum inſtitutum eſt, ubi de ſola Urethræ Fiſtula mihi agendum propoſui, quæ ſuccreſcentibus Carunculis in meatu urinario ſolet ſuccedere, eò quòd impedito neceſſario urinæ curſu inflãmatoriis tumoribus, & ſucceſſivis abſeſſibus anſa præbetur, qui ſi poſt ſuppurationem Caruncularum ablatione illicò non curentur, in Fiſtulas abeunt pernicioſas.

In Pube, Scroto, & Perinæo potiſſimùm ſolent contingere, hoc eſt ubi ab obſtaculis in meatu radicatis identidẽ repercuſſa Urina ſcrobem ſibi excavat, exitum Molitura, & quàmvis ſemper deberet eò ferri, ubi minor adeſt reſiſtentia, & renixus, attamen multoties per cæcos canaliculos ſerpens, in ipſum tendit Anum, ipſas Nates depopulatur.

Fiſtula Urinæ cæteris citiùs callum contrahit, eò quòd urinoſum ſal cum aluminoſo Puris mixtum latera incruſtat, ipſiſque tenaciter adhæret, acidis, & vi-

& viſcoſis Sanguinis particulis, & ſucco partis alimentitio, non parum conjurantibus.

Ferè ſemper à parvo doloris ſenſu ſtipatur, quia fibræ circulares penitus abſciſſæ, & induratæ ab acribus, & corroſivis ſuccis in cavitate nunc deliteſcentibus, nunc tranſeuntibus, non alterantur, quando tamen anfractuoſo ſinu procedit, nec libero Urina tramite poteſt effluere, in promptu ſunt mæandri hinc, inde excurrentes, qui in inflammatorios tumores abeunt, facta ſuppuratione in multiplicatas Fiſtulas, permutabiles. Quare in prima ſinus formatione, ſi contingat, quòd Urina, nec recta, nec propiori ad exitum ſitu, foramen actu ſuppurationis Moliatur, ſed ſenſim agat in diſtans, Fiſtula profundior efformatur, pluribuſq; vaſculis, & canaliculis remora, & obſtructio imponitur, quę diversã liquidorum congeriem repercutiẽdo, nunc mixti in noxias

fer-

ſermentationes excandeſcunt , nunc inſpiſſati à ſuo deshiſcunt genio,& cęp-to callo fortiùs adhærent. Quare creſcit in dies ęſtuans affectæ partis Orgaſmus; Artæriæ, & venæ Sanguinem re-ferentes diverſimode comprimuntur , unde mediantibus fibris in violentas exploſiones coactis toti maſſę ſpirituū ſummè irritativa modificatio participatur, quæ circuitus, nunc tertianarios, nunc erraticos minatur, ſemper cum metu renovandæ ſuppurationis.

Illud tamen obſervatu dignum eſt, quòd Febris ſymptomatica Fiſtulæ,ferè ſemper portendit aliquem ſinum in ab-ſcondita ſcaturigine deliteſcentem,qui, vel nullam, vel ſolo turgeſcentiæ tempore, habet cum Fiſtula communicationem ; Si nullam, Febris ab incæpta periòdo in ſalubrem intermittentiam, nec ſopitur, nec conſileſcit, uſquequò Materia cęſpitans, aut Manu Chirurgica arte ſuppuretur, aut per methaſtaſim

median-

mediantibus orificiis vaſorum ſangui-ferorum, in abſconditam cavitatem hiantibus, in venas reſumpta, per ſecretoriam pororum diſpoſitionem ſecernatur; Si verò cum Fiſtula aliquam habet communicationem, hoc facilè cognoſcitur à quantitate purulentiarum, ſtatutis tantùm vicibus erumpentium, cum ſucceſſiva Febris miteſcentia, & ſymptomatum moderatione.

Sine talibus ſinibus, materia, quæ ab Urethræ Fiſtula continuò ſtillat, neque eſt perfecta Sanies, neque perfectum Pus ſed quædam veluti ichoroſitas de utroque participans, prout diverſa cavitatis circumferentia, & ruptorum canaliculorum numerus præpollet. Ferè tamen ſemper Urina à ſanioſis particulis ſuperinducta profluit; Et quàmvis Urethræ foramen poſt Spincterem Veſſicæ occurrat, hoc eſt Urina ad libitum ſecernatur, nihilominus, poſt mictionem, in anfractuoſo itinere reſtitat, quę nunc chyloſis,

loſis, nunc aqueis mixta particulis perenni fluxu ſinus latera humectat.

Si verò contingat, quòd nundum debellata Lue, virulenta adhuc profluat gonorrhæa à glutine partis nutritivo, aut à putreſcente in veſſiculis ſemine efformata, tunc morbus abit in deteriùs, eò quòd exaltata ſeminali portione tenuiſſimis, volatilibuſque ſalibus prędita in corroſivum, & ſylveſtre abit mixtum, quod exulcerationes per Meatum adauget, & ſenſim excavato ulcere Urethræ foramen amplificat, unde libero gurgite exiens Urina, ferè tota per Fiſtulam ſecedit, nec ampliùs per reliquum Penem inter Carunculas, & Urinarii Meatus latera filtratur.

Multoties nihilominus, quàmvis amplum pateat fiſtuloſum foramen, à tacito viru pedetentim ſerpente, tota Scroti regio à multis foraminibus perfoditur, ſine prævia interdum ſuppuratione, à quibus ſucceſſivè exeunte Urina,

na, partes muſculoſæ, & membranaceæ excoriantur, unde imminet Gangræna.

Imbecilliori reddita parte, & effæminato Fibrarum tono pituitoſi quoq; humoris ſtagnatio ſuccedit, non quòd copioſiùs influat, ſed quia ipſius circulatio retardatur, unde facili negotio, vel exiguo diætæ errore, aut inæquali temporum viciſſitudine, portiones ſeroſę, & æterogeneę illicò colliguntur, eminenti ædemate regionem Pubis cingunt, & Perinæi.

Hiſce præcipuè ſymptomatis animalis æconomia læditur, & quò magis labia in calloſam duritiem obduruerint, eò magis Fiſtulæ curatio retardatut. Semper nihilominus eſt inſtituenda, quidquid jactitent quidam noſtrates Chirurgi cum magno artis, & ſalutis damno, maxima ſcilicet detrimenta portendendo, ſi deleteriæ ſuperfluitates, quæ è Fiſtula erumpunt, media curatione

ratione ſupprimantur, eò quòd in circulationis neceſſitate per totum corpus recurrant, & aliæ quoque partes labefactentur. Sed, quantùm infirmo ſtet Talo hæc ſomniata opinio, facilè videt, qui in Phiſicis non claudicat, neque humana caret mentis trutina. Nam præterquàmquod Fiſtula Urethræ, nec pendet à mala Viſcerum temperie, nec à chachetico totius corporis habitu. Quis neſcit purulentas ſordes in ſinu fiſtuloſo deliteſcentes à toto haud influere, ſed in ipſa parte à contagionis ritu coinquinari? Lacteum ſiquidem, & nutritivum Gluten æqualiter per omnes partes diſtribuitur; Ubi ad partem affectam fuerit evectus, nunc à diverſa fibrarum contorſione illaqueatus ſiſtitur, nunc aliquo hiſcente Mçandro in ipſam cavitatem elutriatur, unde varia exſurgunt concreta, diverſæ ſtatim fiunt combinationes, fermentationes, &c. Abſurda, quæ, methodo rationali curata Fiſtula

ſtula, non contingunt. Ad Naturalem etenim configurationem, & conſiſtentiam redactæ partes fibroſæ, & muſculares, amicabili motus reciprocatione inter ſe conſpirant, ſicque perfecta abſolvitur circulatio, abſq; ullo tumoroſitatis metu, & ſine minima deleterii humoris efformatione. Sileant itaq; ac valeant ſimilis farinæ Barbitonſores Fiſtulas potius inducentes, quàm curantes, & ſalubri etiam imprecatione, Fiſtuloſi ad ſollicitam ſinus coalitionem diſponantur; Et quàmvis, uſque in præſens, Auctores inſudaverint, ſemper incàſſum, in curanda Urethræ Fiſtula, (quòd abundè teſtatur *Rodericus à Fonſeca*, illis verbis; *Fiſtulę ad Meatum urinarium pertingentes non ſanantur*]. Ego ipſe, tamen auſpice Deo, à quo lumen omne deſcendit, plauſibile forſan inventum mihi videor poſſe gratulari, noviſſimam nempe methodum, quæ tutò, & ſuaviter hujuſmodi morbos curabit.

Uti phyſica veritas eſt, quòd Fiſtula Urethræ ab Urina producitur; Ita quoque firma eſt regula à continua praxi confirmata, quòd perennis Urinæ fluxus latera ſinus continuò humectans impoſſibilem reddit Fiſtulæ curationẽ. Dum ſuppoſito, quòd neceſſariò novæ carnis geneſi debeat præcedere calloſi labii ablatio, hæc irrito ſemper conatu tentatur. Si etenim exedentibus tantùm potentialibus curatio inſtituitur, vix immiſſi ſunt, quod ab Urina ſtatim abluuntur (qui etenim laborant Urethræ Fiſtula, ſępiſſime mingunt). Si verò igne actuali utimur, ipſo actu ſeparationis eſcharæ, & partis demortuę, nova quidem ſuccreſcit caro, ſed dum ſenſim augmentatur, ſenſim quoque, & ipſa in callitiem obdureſcit. Hæret etenim in parte fermentum à præterfluente ſemper Urina exaltatum, noxiam illicò inducens efferveſcentiam, qua mediante evaporatis particulis vo-

latilibus,

latilibus, portiones ſulphureæ ab acidis indurantur, & novæ carnis ſuperficiei tenaciter adhærent; Quam opinionem ſuggerit celeberrimus *Dolęus*; *Quoniam*, inquit, *Urina eam ſemper alluit, & impedit ob acrimoniam ſuam ſalinam, quò minus curetur.*

Similis quoque difficultas oritur in extirpatione Caruncularum. Urina etenim, quæ frequenter fluit, vel ad Caruncularum obices reſtitat, vim medicaminis deludit, undè à replicata candelæ truſione, vel opus retardatur, vel Ægri excandeſcunt. Difficultas, quæ ſicuti plurima pręteriti, & præſentis Ævi Chirurgorum ingenia torſit, Ita pariter, & meum imbecillimum, proxima potiſſimùm Æſtate, exercuit. Attenta etenim penſitatione à me ſæpiſſimè examinabantur, non proletariæ ſortis Auctores in re Chirurgica, *Fabricius*, ſcilicet *Aquapendens pag.* 270. & *Joannes Scultetus in ſuo Armamenta-*

rio Chirurgico pag. 27. Quorum ingenioſiſſimæ cogitationes in id potiſſimùm incumbebant, ut Urina ſine remedii, & partis affectę contactu profueret; Sed methodo nimis infirma, & optatum finem haùd aſſecutura. Primus cannulam ceream proponit longitudine digiti ttansverſalis, quæ Carunculam à ſalinis lotii particulis tueatur. Sed pręter difficilem ſitus determinationem, ubi cerea ex linteo cannula eſt derelinquenda, jam liquet, illicò à calore emolliri, diverſimodè criſpari, & obſtructionem potiùs pręterlabenti Urinę inducere, ut fuſiùs innuimns in præcedenti Hiſtoria pag. 80. *Scultetus* verò Fiſtulam proponit, ex auro Ungarico fabrefactam, ante Urinę excretionem, meatui urinario imponendam, *ut per eam Urina exeat*. Rectè ſciens eruditus Auctor talem Fiſtulam perpetuò non poſſe geſtari, utpote quæ, niſi cum perenni doloris ſenſu, meatui urinario eſt adaptabilis.

Hiſce

Hiſce itaque anguſtiis obſtrictus, hęrebam in ancipiti, neſciens, quid tali caſu eſſem executurus. Eò tamen actu ratiocinandi potiſſimùm collimabat animus, ut aliquod inſtitueretur inſtrumentum, quod ſemel miſſum, per aliquos dies inſerviret, & ipſo mediante; Urina ſine Urethrę contactu proflueret, ſicque determinato remedio, vel in extirpatione Caruncularum, vel in coalitione ſinus fiſtuloſi, placidè ſupra partem quieſcendo, ne minima quidem Lotii guttula ab operando deturbaretur. Tandem poſt varios exantlatos labores, & diſcuſſa aliorum placita (Divino favente lumine) rationalem inveni Methodum, meis non ſolum votis exactè reſpondentem, ſed etiam, in curandis Fiſtulis, & Carunculis ęqualiter accomodatum; Talis eſt.

Syringa Vermicularis.

ARgentea ſumenda eſt chorda, pili Suis ſylveſtris latitudinem adęquans, quę à perito Aurifice mediis duabus Rotis ad contactum nitentibus in tenuiſſimam oblungam laminam reducatur; Quo facto, ſupra cylindrum vel æneum, vel ferreum, majori plumę columbæ turriculæ circiter reſpondentem, & ſenſim ſine ſenſu in orbem circumactum, exilis lamina, eadem ſemper vi arctiſſimè cogatur, ita ut, & ſibi, & maſculo perfectè adhæreat. In determinata longitudine, obtruncata ęxili lamina, breviſſima argentea cannula ſemidigiti transverſalis Infantis recenter nati, longitudinem non excedens, cum igne, in ſummo apice agglutinetur, ejuſdem latitudinis, quam habet reliqua cannula, ex multiplici gyro tenuiſſimæ argenteæ laminæ efformata; Parte verò, qua calcem agit,

cannu-

cannula pari ritu conjuncta, in circularem alam aliquantulùm extendatur, ut impediatur totalis introitus difficilè alioquin removendus. His feliciter peractis; Funiculus ſericus (vulgo bindello) cera, & pauca reſina obductus per longitudinem ipſius Syringæ ita conſuatur, ut latera funiculi perfectè conjungantur; Quinimò, in utroque capite ſupra cannulas triplicata circumvolutione ita obligetur, ut nulla quavis impetus occaſione, Syringa poſſit denudari. Si in ſutura, aut mucrone aſpera adeſt inæqualitas, penniculo in ceram tincto debet emẽdari; Si tamen vel manu, vel tabula ſupra tabulam in orbem fricabitur, omninò lævigata exurget. Vices funiculi ſerici optimè ſupplet Vas animalis, vel venoſum, vel arterioſum, in quod ſenſim Syringa immittitur, fixis poſteà cum deligatione capitibus; Uterque tamen modus æquivalet, ad conficiendam Syringam vermi-

cularem, in uſum vocandam, ut in ſequentibus.

Placuit ipſam ſub Vermicularis nomine indigitare; Extracto etenim cylindro, adeò in omnes motus hinc inde eſt proclivis, ut terreſtris Lumbrici ſimilitudinem adepta, nunc dilabatur, nunc ſubſultet, pro ut diverſa preſſio participatur. Argenteam laudavi, cætera etenim metalla facilè à rubigine læduntur, propter ſalinas lotii particulas, in Magnatibus tamen auro poterit confici; quod cæterorum eſt propriiſſimum. Ipſius magnitudo, neque per latitudinem, neque per longitudinem perfectè poreſt demunſtrari, cum in diverſo Subjecto non æqualis ſit Urinæ iter, neque Carunculæ, aut foramen fiſtuloſum Urethræ eodem ſemper loco contingant. Hoc tamen ſufficiat monuiſſe, quod Syringa vermicularis in Meatu urinario, debet excedere per duos digitos transverſales, vel Carunculam,

lam, vel foramen fiſtuloſum Urethræ, ut canalis ex ſe fibroſus, & ad contactum nitens perfectiſſimè adhęreat ipſi Syringæ, & totalis Urinæ tranſitus inter Syringam, & Meatum impediatur.

Quod ut feliciter ſuccedat vermicularis Syringa debet tolerabili adhęſione Meatus parietes implere, unde ante Syringę ędificationem, attentè examinanda eſt Urethræ latitudo, & ferreus axis ſuper quem Syringa vermicularis eſt inſtruenda, debet eſſe talis latitudinis, ut ſimul cum Syringa, non excedat determinatam menſuram ab Urethra detinendam. Prętèrquàmquod cautè animadvertendum eſt, tam in ſeligenda argentea chorda, quàm in cera obducendo funiculo; levis etenim error, vel in qualitate, vel in quantitate, aut nimis duram, aut nimis exilem vermicularem Syringam efficiet, quæ alioquin debet eſſe talis, ut ratione ſuæ tenuitatis, & mollitiei motum

virilis

virilis Membri ſequatur, & tenuiſsimè lævigata ipſis amica ſit Urethræ fibris, Ratione verò ſuæ conſiſtentiæ, debet eſſe ad latera omninò ab Urina impenetrabilis. Quod ut contingat, obſervanda diligenter eſt argenteę laminæ ſupra cylindrum circumgiratio, in quo quidem motu, dum exilis lamina ſenſim ſuum circulum abſolvit, adeò incumbat priori circulo, ut nullum ſpatium intermedium reſtitet. Funiculus verò à ſerico forti intertextus, ita cera debet obduci, ut Urina ab ipſo, nullo modo, poſſit tranſudare, ſed violenta per longitudinem ſutura, adeò ſupra Syringam cogatur, ut cum ipſa veluti identificatus, corpus molle, & fixum conſtituat. Quandoquidem argentea Syringa, quàmvis flexibilis, & vel à ſpirali laminæ, inclinatione, aut quovis alio nexu intertexta nil proderit in Fiſtularum, aut Caruncularum curatione, niſi peculiari tegmine obvolvatur, quod agglu-

agglutinationẽ medicaminis in determinatis locis permittat, & introfluentis Urinæ exitum ad Siringæ parietes coerceat. Dato etenim labentis Membri motu, dum Syringa ad exigentiam reflectitur in convexis ejuſdem partibus laminæ à ſe invicem diſcontinuantur, undè varia illicò exhibentur ſpatiola, per quæ Urina locum quærens filtraretur, & in fiſtuloſos Sinus excurrens Fiſtulæ curationem præpediret.

Dato tamen caſu, quòd non Fiſtula, ſed Caruncula in ipſo collo Veſſicæ debeat curari; Tunc Syringa vermicularis in Veſſicam uſque debet pertingere, debetque ita fabrefieri, ut breviſſima cannula in ſummo apice exiſtens, caput habeat obtuſum, foramina verò in utroque latere, non è directo ſibi occurentia [cannula etenim nimis debilis evaderet] ſed alter, altero ſuperior. Quin etiam ſimilis Syringa poterit adhiberi in quavis Urinæ ſuppreſsione,

cum

cum hac tamen obſervatione, quòd ſi debilis eſt Syringa, & omni obſtaculo reluctans, cum infuſo cylindrulo adhibebitur, in ſummitate reliquarum Syringarum more leviter incurvato, quòd ſi ab oleo amygdalarum dulcium fuerit oblinitus, leviſsima tractione ab ipſa vermiculari Syringa, in Veſsicam jam hiſcente, ſecedet.

Feliciſsimam præſtabit operam in illis potiſsimùm caſibus, ubi Veſsicæ, vel Sphincter, vel Valvula a Paraliſi læditur, aut ubi continua lapidis præſentia, ſupra Valvulam præponderans, impoſsibilem mictionem inducit. Syringa etenim vermicularis, ſemel immiſſa, per aliquos dies inſervit, & adeò levis Membri motui obſecundat, ut Ægri quãdoque ipſam non habere fateantur.

Proximo Octobre ipſam expertus ſum in milite quodam duabus calloſis Carunculis ſibi ipſis paulò diſtantibus, & in medio poſt Veſſicam, Urinæ itine-

re

re radicatis; Etiam in principio, fateor, perforationem ſunt paſſę, undè immiſſa vermieulari Syringa ſeptem digitorum tranſverſalium longitudinis, adeò feliciter per ipſam Urina perfluebat, ut Æger extractionem difficilè permitteret. Nihilominus poſt 24. horas novam Syringam immiſi, exedenti cerato turgidam, ubi Carunculis debebat occurere; Prima verò Syringa in aquam eſt demerſa, ut ab externis ſordibus expurgata craſtino operi inſerviret. Replicata per octo dies remedii exedentis ſupra Carunculas adaptatione, nullum amplius obſtaculum, in truſione vermicularis Syringæ diſtinguebatur, undè tutus de ablatis Carunculis, ſequenti mane, Syringam ſolo oleo oblitam immiſi, de illis tamen, quæ ſericum funiculum medicatum habebant, ut in præcedenti Hiſtoria pag. 97. Per quatuor dies ſolidos in Meatu urinario ſtetit, quin Patiens de ullo, aut dolore,

aut

aut pondere quæreretur. (obiter moneo Syringam vermicularem, qua tali caſu uſus ſum, ponderaſſe *ſcr.ii.s.*) Tandem Balſamicis, & exſiccantibus in uſum feliciter revocatis, Æger, favente Numine, in tutum eſt collocatus.

Dantur tamen Carunculæ in tantam prominentiam extenſæ, quæ, totum canalem obſtruendo, ſui perforationem impediunt. Tali caſu adhibenda eſt Methodus, qua uſus ſum cum N. N. pag. 91. aut, ſi omninò ſint refractariæ, deveniendum eſt ad cauſtica magis potentia, cum inſtrumentis pag. 87. explicatis; His mediis dato aliquo aditu, ſtatim ponenda eſt Syringa vermicularis, minori potiùs cylindrulo fabrefacta, per quam Urina, occaſione mejendi, ſecedat, & exedens Medicamen diu agat in Carunculas, quæ, quò magis cedunt, eò craſſior Syringa eſt adhibenda, ut aucta preſſione à profundioribus quoque radicibus extirpentur.

Ad facilem Syringæ vermicularis introitum multùm proderit prævius Chordarum nervearum uſus. Non tamen de illis ſunt ſeligendæ, quæ perpetuam tenſionem in Inſtrumentis muſicis fuerint paſſæ, quæmadmodum in ipſis periit vis elaſtica reſtitutionis, quæ potiſſimùm requiritur, ut immiſſa in Urethram chorda, atque laxata ſuorum tenuiſſimorum filaminum compage majus ſpatium, quo ad craſſitudinem occupet. Quare congruum erit per aliquot horas violento pondere nerveam Chordam in majorem longitudinem protrahere ita, ut exilia filamina validam ſatis compreſſionem patiantur, & ad majorem ſemper conſtipationem coacta magis ad ſe invicem accedant, quæ tamen propter minimarum particularum unionem non diſrumpuntur. Hinc eſt, quod majori tantum aquiſita rectitudine in longitudinem excreſcit, quod in craſſitudine deperditur; Et quàmvis

vis ſublato pondere illicò emergat elaſtica particularum vis,&per conſequens totius Chordæ ad priſtinum latitudinis ſtatum reductio; Hoc tamen non continget, ſi nervea Chorda ante tenſionem in aqua calida, per aliquod temporis ſpatium, fuerit humectata, dum laxato partium integrantium nexu, præterquàm quod majorem patitur tenſionem,&per conſequens gracilior evadit, ſi cum appenſo pondere exſiccabitur, talem induet rigiditatem, & duritiem, ut amiſſa reductionis vì, immò aquiſita robuſtiori firmitudine ad ſuperandas Carunculas aptior evadet.

Taliter immiſſa in Urethram Chorda à reſtitantibus poſt mictionem Urinæ reliquiis, addito partis Calore, ſenſim ſine ſenſu laxatur, & immutata textura ab humidis particulis ſemipatulos Poros permeantibus nervea candela decurtatur, opuſque expectatum feliciſſimo eventu abſolvitur, dum ulteriorem

rem ſemper craſſitiem nacta eminentes Caruncularum protuberantias deprimit, & extracta, amplum hiat iter, aut ad ſollicitum Urinæ tranſitum, aut ad facillimam Syringæ Vermicularis truſionem, cujus introitum impoſſibilem fateor, niſi prius ſufficiens patuerit aditus, qui pedetentim Cereorum, & Chordarum uſu, eſt promovendus.

Notandum tamen, quod in Syringæ truſione, cum apex admodum latus ſit, æqualis ſcilicet diametri cum tota Syringa in obvias facili negotio Carunculas reluctatur, undè aptum erit Syringam vermicularem prius munire cerea candela, quæ ultra Syringam ſemper graciliori apice promineat. Hoc etenim modò Carunculæ faciliùs evitantur, & minori cum dolore Syringa immittitur.

Tali modo curatis Carunculis, ſi adeſt Fiſtula in id potiſſimùm eſt incumbendum, ut reperiatur ſitus perforatæ Ure-

thræ, quod obtinebitur, ſi immiſſo in Urethram cathetere,& in ſinum argenteo ſpecillo, fundus Fiſtulæ attenta perquiſitione explorabitur; Quando recta eſt Fiſtula, Catheteris latus facilè ab apice ſpecilli tangitur;Si verò anfractuoſo ſinu procedit, tunc adhibendum eſt ſpecillum plumbeum diverſimodè ad exigentiam reflexum, quo locus exulceratæ Urethræ debet reperiri. Quòd ſi Fiſtula ſit in Perinæo, opus ex voto ſuccedet, ſi Chirurgus artis ſuæ gnarus,caput Catheteris extra Membrum eminens,leviter ſiniſtraManu,verſusUmbilicum manuducat (eodem prorſus modo, quo *Lithotomi* utuntur in ſectione ad lapidem extrahendum); Convexa etenim Catheteris pars adeò in Perinæo prominebit, ut facili negotio mucroni plumbei ſpecilli reſpondens, Urethræ foramen revelabit. Tunc Catheter per Vrethram lenta tractione excavabitur, & vermicularisSyringa,quę per duos digitos

gitos tranverſales ſuperet obſtaculum ſpecilli plumbei, adhuc in fiſtuloſo Urethræ foramine deliteſcentis, immittatur. Dein extracto ſpecillo plumbeo, ad ea, quæ callum deſtruunt, & novam ſinus coalitionem inducunt deveniendum eſt, ſemper tamen in Meatu relinquendo vermicularem Syringam, ut per eam omnis effluens Urina Fiſtulæ curationem permittat, alioquin impoſſibilem.

Et ut mea tantùm non inniti ſpeculatione hoc effatum pateat, audiantur verba Celeberrimi *Fulvii Gherli*, qui in obſervatione ſexageſima nona pag. 260. Fiſtularum Perinęi Curationem ſic aggreditur. *Indi intromiſi una Cannella ſottiliſſima di piombo nell' Uretra, oltre le sboccature delle Fiſtole, ed in tal modo impedii l'uſcita delle Orine per le medeſime.*

Illm̃us, & Excm̃us Comes de *Kinigſegg* S.C.M. Generalis in Pręlio *Caſſani* apud

Abduam 1707. contracto Vulnere, & per integrum Menſem ab Exercitus Chirurgis fatigatus, *Brixiam* petiit. Accerſitus Pater meus audacem reperit plumbeæ Glandis ictum, a quo Penis prope Scrotum in medio fuerat perforatus, ultro progrediente Glande in Siniſtram Coxam uſque ad Contactum Femoris. Quòd tamen plus faceſcebat negotii Exc. Patienti erat tarda Vulneris Membri Coalitio, & omnis irrita Vis Medicaminis. Nec abſre, quoniam denudato Vulnere, actu Mictionis copioſa viſa eſt Urinæ quantitas, quę ab utraque laterali Scatebra exundabat: Unde congruum fuit arbitrari Curationem Vulneris, quod jam jam ad Fiſtulam appropinquabat, ab urinario Lotio prępediri. Tali itaque innixus evidenti conjectura argenteam cannulam in Urethram ultrà foramina immiſit, & miraculi ad inſtar, perfluente feliciter per Cannulam Urina, breviſſimo dierum

rum tractu convaluit. Taceo Fiſtulam Urethræ in Perinæum,& ſiniſtram Natem duplicato ſinu excurrentem feliciter *Mediolani* Curatam in Ill. & Excell. Ba.Martini S.C.M.ComiſſarioGenerali, aliaſq; complures in hominibus inferioris conditionis.

Quid plura? *Scultetus* ipſe Chirurgicæ ſupellectilis diligens adeò Inquiſitor ad tollendos torminoſos cruciatus, quos Lotium actu mejendi per exulceratam Urethram inducit, non ne aureo Tubo, utebatur? *Atque ita leniatur*, ait, *Sævissimus ille dolor, & ardor, quem ſentiunt Ægri, quando Urinam ſine Cannula reddunt*. Cujus inde emergens conſequentia ſatis probat, quod ſi immiſſa in Meatum Cannula mictio abſq; ardore ſuccedit, nulla ne minima quidem Urinæ portio in ſummitate inter externa Cannulæ latera, & Urethram filtratur, ſed felici gurgite per cannulam præterfluit, & quidem celeriùs,

quàm abſque Cannula etiam ſi nullum adeſſet in ipſa Urethra obſtaculum. Quandoquidem membrum, dum molle dilabitur, & à ſuis muniis feriatur; membranacea, & ſpongioſa Vrethra ad contactum nititur; Idcirco, ut Urina labatur, major ipſi fluido requiritur impetus ad ſuperandum renixum parietum Urethræ, quorum continua preſſio, & ſucceſſiva à Sphinctere Veſſicæ uſque ad exitum Glandis ad contactum inclinatio non levem reſiſtentiam introfluenti Lotio impertitur. Contra verò immiſſa cannula, apertum patet iter nullis preſſionibus obnoxium, in quo Urina lato ſatis limite coarctata exitum feſtinanter abſolvit; Et quamvis cannulæ apex Lotii undæ videatur aliquantulùm obſiſtere, hoc tamen evitabitur; ſi cannula ad tolerantiam fuerit ampla, & in ſuis parietibus admodùm ſubtilis, & ſufficientem advenienti Urinæ aditum exhibeat. Cumque

his

his prȩſertim caſibus frequens occurrat Mictio, non tam facilè à pauca Urina tolerabilis illa adhæſio ſummitatis cannulæ cum Urethra in parte ſana, perturbatur.

Hæc de cannulis; Quorum uſum Nemo poteſt criminari, quin omnium Medico-Chirurgorum cenſura expungatur. At quomodò exprobrabitur vermicularis Syringa, quæ Metallicis cannulis antehàc uſitatis æquivalet, immò favorabili diſparitate antecellit? Quandoquidem, ſi primæ propter perpetuam ſuam tenſionem doloroſæ erant geſtationis; Hæc in omnes motus facillima amicabili reciprocatione cum Urethra hinc inde dilabitur.

In juvenili tamen ætate impoſſibilis interdùm eſt tolerantiȩ, ſed ſi datur hujuſce Morbi curandi occaſio, ſignum evidens eſt, quod Patiens per annos integros à ſtranguriis, & Urinæ ſupreſſionibus fuit vexatus; Calloſa ſiquidem fieri

ri

ri Caruncula, nec ſinus fiſtuloſi ad Urethræ latera contingere poſſunt, quin morboſa Ilias in parte non præceſſerit, & frequenti uſu Catheteris, aut candelarum opus fuerit, quibus tenuiſſima alioquin Epidermis ad extranei Cylindri contactum aſſueſcit.

Cautè ideò in Syringæ ædificatione animadvertendum eſt, ut externè adamuſſim expoliatur, & ęqualis ſit diametri per totam longitudinem; Ab Anatomico ſiquidem examine patet Urethrã quoque in toto ſui decurſu eandem habere capacitatem, ut teſtantur *Diemerbroeck* pag. 127. & *Blancardus* Tr. de Virorum Organis pag. 519. illis verbis: *Quam Urethram appellamus Teres, & caua eſt eandem ferè à principio ad finem amplitudinem obtinens*; In aliquibus quandoque tamen poteſt eſſe inęqualis, quia Monſtra contingunt.

In reliquis, quò ad hujuſce Syringæ inventum mihi, & ipſi fateor in ſola conje-

conjectura multæ difficultates occurrebant, ſed cum in quotidiana praxi cum Patre meo, meis Votis ſatisfacere compererim, non potui, quin Publici Juris illud facere ſtatuerem. Etenim in præſens nulla alia Utimur Syringa, quã ex Vermicularibus, tam in Urinæ ſuppreſſionibus, quàm in Sphincteris Paralisi, Fiſtulis Urethræ, Carunculis &c. quæ quidem ſi totum canalem occupaverint, candelis priùs cereis, vel chorda, ut jam innuimus, ſunt minuendæ; Et tunc præcipuè Syringa eſt agendum, quando Carunculæ radices ad rugoſam conſolidationem pronæ perfectæ extirpationi reluctantur, dum Syringa, cujus lateri Medicamen fuerit agglutinatum, indesinenter in ipſas impellit, & naturali tentata conformatione ab æquali per totam Urethram niſu ſucceſſivis balſamicis opus abſolvitur. Hinc ingenuè fateor, à noſtro Chirurgico Armamentario in inferiorem angulum relegatæ

gatæ ſunt Argenteæ antiquæ Syringæ, quibus utimur ſolùm dato caſu, quod de Veſſicæ Calculo dubitetur. Tunc etenim firmus ſatis debet eſſe Catheter, ut Lapidis contactus in manum reſonet, & diſtinguatur. Sed è diverticulo in viã.

Quàmvis totus cardo curationis pendeat ab impedito Urinæ per Fiſtulam fluxu, nihilominus multùm proderunt ad Fiſtulę extirpationem cętera quoque remedia, tam localia, quàm univerſalia; In quibus tam decantatus vulnerariorum uſus, peculiari quaſi virtute in partem affectam agens, non bene ſonat cum æquali liquidorum, per totum corpus, circulatione; Explicari etenim nequit, quomodo vis medicaminis, per tot filtrationes enervata, & ad locum læſum pertingens, ſuas vires exerat in carnis reproductione. Sanè ſolutæ unitatis coalitus opus eſt ſolius Naturę, & humorum glutinantium, à vitali Corporis noſtri principio produ-

cto-

ctorum, prudenſque Chirurgus, verus Naturę miniſter, inſufficienti bus Naturæ conatibus debet ſuccurrere, callum abducendo, criſpaturam læſarum fibrarum emolliendo, & diligenti ligamine Fiſtulæ labia combinando. Sic ſponte redibit humorum circulatio, & in cavum ſinus continuò ſtillabit balſamicum Gluten, quod ſolutam unitatem conjunget; Fruſtra itaque tentabitur Fiſtulæ curatio, ſi corpus vel cachochymum, vel Lue Gallica infectum, vel aliqua Viſcerum intemperie fuerit labefactatum. His etenim caſibus à prępollente in liquidis, aut ſalſedine, aut aciditate facilè latex balſamicus deficit, corrumpitur, & ad glutinandum ineptus evadit. Non itaque determinata dantur Vulneraria ex ſimplicium potiſſimùm ordine deſumpta, ut Biſtorta, Centauri Min. radix, Conſolida, Hypericon, Sarſaparill. ſcord. ſalv., Scolopendr., Chinæ radix &c., quæ in Auc-

toribus poſſunt videri ; ſed omnia ea lato modo dicentur vulneraria, quæ peculiari præexiſtente morboſo Viſcerũ, aut fluidorum ſtatu adamuſſim reſpondebunt, & vel in æterogeneitatum attenuatione, vel in animandis fermentis potiſſimam dabunt operam. Sic v.g. ſi Fiſtuloſus prȩvio laboraverit Scorbuto, tardum, & impoſſibile opus erit Fiſtulæ curatio, ſi ipſi non præcedant remedia antiſcorbutica, totius Morbi eradicativa. Sic in Lue Gallica affectis, nunquam Fiſtula curabitur, niſi prius domito Luis genio; Unde antiſcorbutica, & Mercurialia vulneraria dicentur. Robur addunt huic Hypotheſi verba Eruditiſſimi J*acobi waldſchmidt in Chirurgo Carteſiano pag. mihi* 14. *Nunc ea*, inquit, *adhibenda ſunt vulneraria; quæ acido debellando ſunt dicata, mox talia eligenda, quȩ ſalinam intemperiem magis reſpiciant; Sæpius nova ſubſtituenda, quȩ vim etiam habeant turbatam*

batam ſanguinis mixtionem reſtituendi. Clarè itaque patet, omnia jure meritò vulneraria dici poſſe lato modo, remedia illa [*equidem, ſi verum velimus fateri*, ait Celeberrimus *Chriſtianus* Joannes *Langius in ſua praxi generali, propriè ſic dicta remedia vulneraria vix dantur*], quæ morboſam diatheſim Fiſtulam, vel efficientem, vel concomitantem compeſcant, ut inde emergente balſamica Sanguinis conſtitutione, gelatinoſę; & lacteæ portiones, debita accedente digeſtione, in fiſtuloſi ſinus circumferentia tranſudent, quodq; deperditum, & diſcontinuatum erat, denuò redintegretur.

Utrum tamen, quandoque ſinus rubicunda carne adimpleatur, mediantibus remediis illis vulnerariis ſpecifica activitate pollentibus, & immediatè à Ventriculo per peculiares vias in ſinum derivatis, (quæ Veteres jactitant) ſagacioribus remitto decernendum.

Hoc

Hoc unum ſcio Clariſſimorum Virorum auctoritate, & continua experientia fretus, cujuſcumque loci læſi,& præcipuè Fiſtulæ Urethræ, optimum inter cætera vulneraria in uſum poni debere decoctum exſiccans; addito, medio Hypocauſti, ſudore. Nimis etenim in circuli neceſſitate portiones omnes ſeroſæ, aqueæ,& æterogeneæ in Pubis,& Ani regionem præcipitantur, & vel in ſinus cavitate extravaſantur, vel Tumores ædematoſos inducunt. Cumque effectus curationis pendeat ab actu exſiccandi, proprium erit ante Fiſtulæ curationem decocti ſudoriferi uſus, à quo ſuperflui omnes humores ad ambitum corporis expellantur, nec amplius ad partem affectam inclinent. Hoc facto, dum ſenſim ſudor agitur, Chirurgica quoque Manus ad partem eſt admovenda.

Poſita itaque Syringa Vermiculari in Urethram modo jam deſcripto; Hoc

eſt,

eſt, quòd ſummus apex Syringæ per duos digitos tranverſales proximior ſit Sphincteri Veſſicæ, quàm foramen fiſtuloſum Urethræ; Tunc totis viribus eſt agendum, ut callus, ſinum circumambiens, deſtruatur, & quàmvis auſim dicere, quòd feliciter per Syringam vermicularem perfluente Urina, nec amplius Fiſtulam humectante, ſenſim callus ex ſe evaneſceret, [quod aſſertum abundè probatur à modo, quo multiplices Fiſtulæ hinc, inde enaſcentes, curantur; Scilicet ampliato recto, & majori foramine, per quod liberè exiens Urina, per reliquas filiolas Fiſtulas amplius percurrat; Quæ dein ſine exedentibus, ſine balſamicis ad cicatricem perducuntur, & tamen ante dilatationem unius ex foraminibus, cętera omnia callum duriſſimum præſeferebant, undè patet conſequentia, quòd ceſſante Urinæ curſu, Fiſtula ex ſe curaretur.) Nihilominus opus citiùs abſolvetur, ſi cæ-

tera

tera quoque remedia adhibeantur, quorum, quàmvis apud Auctores conſtet abundans Catalogus, attamen cum pauci ex profeſſo de Fiſtula Urethræ egerint, meliora placuit ſeligere, ad caſum peculiariter reſpondentia.

Notandum itaque in primis eſt, quòd Fiſtula Urethræ, rarò vel ferrum, vel ignem patitur, cum nerveæ, & ſpermaticæ vicinæ partes facilè in inflammationem, & ſucceſſivam Gangrænam abeant. Et quamvis Eruditiſſimus *Petrus de Marchettis in tractatu de Ulceribus, & Fiſtulis Urethræ, pag. mihi* 166. ſectionem laudaverit; Pace tanti Auctoris, cautè procedendum eſt, præcipuè ſi calloſi ſinus propè ad Urethram hinc, inde deliteſcant. In Perinæo tamen, ſi callus eminentem, & oſtreaceam naturam induerit, poterit cauſtico etiam actuali tangi, ſed potiùs ſuperficialiter, cum vicina Urethra facilè ſuas diatheſes ipſi Veſſicæ participet. Dato

tamen

tamen caſu, quòd fiſtuloſi cuniculi in ipſas Nates dehiſcant in partibus pręcipuè carnoſis, aut in Scroti ſuperficialibus, vitatis vitandis poterit ſectio inſtitui, vel Scalpello in mucrone cera munito, ne in tranſitu non ſecandæ lædantur partes, aut Inſtrumento ab *Aquapendente* deſcripto, cujus gladius vaginatus, compreſſo manubrio, exit, ad ſectionem limitatè perficiendam.

In reliquis, ſęmper cauſticis potentialibus in calli ablatione agendum eſt, nunc acribus, nunc moderatis, prout calli reſiſtentia requirit, quibus turunda oblinitur, ut ſuo circulari contactu callum deſtruat; Cumque ſinus in principio ſemper ampliandus ſit, aptum erit, vel Spongia, vel Surgi medulla turundam præparare, tali arte, ut, dum ſenſim à Fiſtulę ſordibus humectata creſcit, cauſticum potentiale undequaque in ſinus latera cogatur. Non confeſtim tamen, nec prima illicò vice hoc agendum eſt,

ſed pedetentim, & argentea cannula, vel in medio, vel ad latera ſpongiæ in ipſum ſinum intruſa, ne coercitæ ichoroſitates ab impervio itinere in profundioribus partibus ſcrobem ſibi excavent, ſed dum ſenſim colliguntur, ſenſim quoque per cannulam ſecedant.

Non poteſt determinari, qualia corroſiva in Urethræ Fiſtula conveniant, cum non innoteſcat qualis calli pertinacia obvia eſſe poſſit. Quia tamen, quò ad calli remotionem, quæ exedentibus potentialibus fit, cum cæteris Fiſtulis convenit, ideò appropriata ab Auctoribus, experientia duce, poterunt hauriri.

Principaliora, & magis uſitata divi-dit citatus *Langius in ſua praxi generali pag.* 784. in duas claſſes, ſcilicet *alchalicorum, & acidorum. In primis pollent Lixivia fortiora, & præcipuè ſaponariũ: Teſte Tachen. in Hipp. chym. qui exemplum refert de homine noctis tempore in dolium lixivio tali repletum, lapſo, qui*

totus

totus corroſus, & conſumptus brevi fuit. Pro acidis habet oleum Vitrioli, Butyr. Antim. Mercurium ſublimatum, & præcipitatum, calc. viv. &c. quæ vult etiam diſtingui ab effectu, hoceſt, quòd *Alchalia partes nigras relinquant, acida rubeas.*

Gabriel Fallopius in callis mollioribus utitur radiceHellebori nigri in aceto, vel oxymelite macerata, & in ſinum immiſſa. Sed præſtantior modus eſt in forma liquida, mediante Syphone in ipſum ſinum intruſa. Cum etenim fiſtuloſa cavitas,non ſemper undique turundarum, aut radicum obſtaculo ſe exhibeat, per conſequens callus à cauſtici præſentia remotus, non ſeparabitur. Præterquàmquod nullam vidi Urethræ Fiſtulam, quæ tortuoſo itinere non ſerperet, aut cuniculos hinc inde non efformaret. In quibus quidem caſibus turunda ſpongioſa cauſtico oblita nil aliud præſtat, quàm foraminis

dilatationem, ut cęteri quoque ſinus faciliùs perſcrutentur, in quorum cęcā ſcaturiginem turundæ difficilè poſſunt pervenire; Contra verò injectio ubicumque pervadit, præcipuè, ſi Sipho tali arte adhibeatur, ut liquor violenta preſſione evacuatus in ſinum è directo impingat, quod ex voto ſuccedet, ſi cannula Siphonis ad exigentiam reflexa, cavernoſis hinc inde ſinibus applicabitur. In illis tamen Fiſtulis Urethrę, quæ nullam dilatationem, neque externi quidem foraminis patiuntur, tunc ad mediam Siphonis cannulam Goſſipium alligandum eſt, quod dum Siphonis ulteriùs iter prohibet, adeò foramen fiſtuloſum obturat, ut coercitus liquor ex Mechanica neceſſitate, in tenuiſſimos uſq; Meandros ſerpat, & calli anihilationem moliatur.

Liquores iniiciendi, ſecundùm Veteres, ſunt ſuccus Tabacci, Rad. Ariſtol. rot. ung. ægypt. Chalcanth. uſt. pulv.

can-

cantharid. trociſc. de minio, decoct. lupinorum, vitriol. uſt. ſuccus tithymali &c. Secundùm Recentiores, Aconitum, Butyr. Antimon. Mercur. præcipit. & ſublimat. Mag. calcinat. Paracelſi, Aqua Mercurialis, Sal ammoniacum, & inter cætera ſummis laudibus extollitur à *Carolo Muſitano*, tractatu de Tumoribus Tom. I. pag. 22. Balſamum Arſenici, eò quòd inveteratas, & malignantes Fiſtulas adequatè perſanat. Videatur in citato Auctore modus preparationis,

Cautè tamen, & ſumma cum circumſpectione procedendum eſt in arſenicalium injectione, cùm ſepe ſæpius; quàmvis ſuperficialiter callus undique impactus appareat, in profundioribus quandoque partibus, aut in cuniculis recenter efformatis, datur non ſolùm aliqua ſuperficies bonæ carnis, ſed etiam multoties, vel hiſcunt aliqui ſurculi Sanguinei, vel nudæ apparent Fibræ mu

ſculares, undè remedii venenata qualitate, aut in Sanguinem irrepta, aut irritatis Fibris, facili negotio univerſæ fluidorum Maſſæ ſummè fermentativa modificatio participatur, quę aut febres molitur, aut inflammatorios abſceſſus in ipſa parte producit in Gangrænam ſæpeſæpius abeuntes. Quare ſufficiat, ſi Tyrones ſequenti utantur injectione, quæ Patrem meum per quadraginta annorum praxim in Fiſtularum curatione nunquam fefellit ... Æqualis pars Mellis roſ. ſimplicis, & Ægyptiaci diſſolvatur, vel in aqua Hordei, vel in vino albo, aut tenui lixivio, & in dies augeatur doſis Ægyptiaci, uſquequò reluctante callo, ſolum Ægyptiacum adhibeatur, cujus exigua portio poterit in ipſo ſinu relinqui, ut agat, quod agere nata eſt.

Talibus remediis ſenſim callus annihilabitur, quod cognoſcitur à putreſcentibus ramentis, quæ ſenſim abeunt,

& ab

& ab aliqua Sanguinis portione, quę ab ulceratæ carnis ſuperficie ſecedit. Tunc ad partis corroborationem, & ad ſimas, ut ita dicam, corrugationem, aptum erit Vinum ſtypticum, mediante ampla Spongia externæ regioni Fiſtulæ applicatum, ſequentis, ſi lubet, tenoris.
℞. Rad. conſolid. plantag. aa. unc. ii. Fol. caud. equin. Hyperic. menth. aa. m. i. Prunor. ſylv. cont. unc. s. Bacc. myrt. Cupreſ. Cort. granat. Balauſt. flor. roſ. rub. Damaſ. aa. unc. i. Mal. cot. num. ii. Cont. cont. & inf. in vino auſtero, & generoſo per noct. m. bull. parùm pro uſu.

Diverſo tamen modo procedendum erit, ſi exedentium uſu acutiſſimis doloribus anſa præbeatur; Tunc etenim anodino ſupra partem cataplaſmate erit utendum, ex Parietaria cum croco in oleo chamomillę cocta, & tepidè impoſito, ut particulæ ſuccorum corruptorum cuſpidatæ hebetentur, & frangantur, atque emollita Fibra, cruor bal-

ſamicas, & lacteas moleculas ad ſinus latera evomat, optatam coalitionem producturas.

Quòd ſi ulcus fiſtuloſum in ipſo deliteſcat ſcroto, aut multis foraminibus ipſum perfoderit, tunc validè incumbendum eſt ad demulcendas exulcerationes abundique humectantibus ichoribus productas. Membranacea, & rugoſa etenim pars difficilè à putreſcentium remediorum ſordibus munda tenetur, unde ſæpeſæpius quædam veluti impetigo ſuboritur, totum circumambiens Scrotum, quæ Fiſtulæ curationem aliquantulum prolungat, propter delicatam, & denudatam partis texturam, quæ exedentium minimo contactu excandeſcit. Quo quidem caſu, aptum erit ung. ref. Gal. roſ. onphac. aut malv. vel empl. ex farina Hordei, lent. aut fabar. cum decot. ſemin. fęnugr. ſubacta, add. ol. amyg. dul. roſaceo, & chamomellino; Præ cœteris tamen ſequens ung.

com-

commendatur. ℞. *Thuris Lytargyrii, Ceruſ. lot. Sang. drac. Acac. Cort. granat. aa. dr. ii. Sarcocol. Aloe, Alum. aa. dr. i. Pul. add. ceræ, & ol. roſ. q. ſ. f. ung.* Et ſi aliqua adeſſet ſuſpicio non domitę LuisGallicę, poterit addi pauxillum Mercurii viv. cum ſaliva Hom. extinct. Quibus non ſufficientibus, poterit etiam inſtitui demerſio, vel Semicupium in aquis thermalibus, quæ ſi abſint, ſubſtituatur decoctum *Scordii, agrimoniæ, flor. Hyperic. &c.* à quibus non ſolùm ſalina Scroti Diatheſis enervabitur, ſed etiam callus mollior evadet.

Quinimò notandum eſt, quòd dum callus ſenſim annihilatur, & ſubſtantia ſpermatica Urethræ detegitur, Tunc in uſum ponenda ſunt exedentia minoris aptitudinis, cum partes nervoſę ſimilia remedia difficilè patiantur.

Sub hoc regimine ſenſim callus ſecedet, præcipuè, ſi attentè invigilet Medicus, ne una quidem Urinæ ſtilla

in

in ſinum fiſtuloſum defluat, dum ſine tali diligentia operam, & oleum perdimus, unde non erit abſre, ſi ſemel in die, aut ter in Hebdomada, Syringa vermicularis in Meatu mutetur, dum continuo Urinæ curſu, aliquando intrinſecùs ab ichoribus catarrhalibus, & præcipuè mucoſis obſtruitur, aut à retentis in circumferentia ſordibus, ipſi Urethræ noxior evadit. Impoſſibile etenim eſt, quòd, dum foramen fiſtuloſum Meatus urinarii mundificatur, purulentæ quædam humiditates ad latera vermicularis Syringæ non incumbant, quæ autem, cum ipſi Meatui perfectè adhæreat, ab ipſarum attritione, aut foramen Urethrę dilatatur, aut nova ulcuſcula generantur; Quare in dies Syringa mediante ſpecillo internè perfectè mundificabitur, aut prævia lactis injectione ad canalem abluendum, nova immittetur, poſſibilis ſemper latitudinis, tum quia citiùs tramitem Urinæ permit-

permittit, tum quia Urethræ perfectè incumbens, ad externos Syringæ parietes, Urina non filtratur.

In quem finem, occaſione mejendi, aptum erit, ut Æger, dextera manu membrum, & circularem Syringę alam detineat, ſiniſtra verò Perinæum, prope Anum, ſupra Syringam vermicularem aliquantulùm comprimat, aut plumaceolo ipſi Perinæo ſuperpoſito, & media Faſcia in Collo, Pube, & regione Renum cingulo fixata (vulgò Staffa) ſuſpenſo; Hac etenim compreſſione ſana prope Sphincterem Urethra adeò ipſi Syringæ vermiculari incumbet, ut totalis Urinæ exitus inter Syringam, & Meatum impediatur.

Cavendum tamen eſt, ne preſſio, quæ ad latera ſummitatis Syringę debet fieri, ultra Syringam fiat, dum tali modo Urethra ad contactum cogeretur, & ſuperfluus eſſet mejendi conatus; quod abſurdum facilè tolletur, ſi Syringa

ringa vermicularis tantæ erit longitudinis, ut uſque ad Veſſicæ collum pertingat.

Rebus ita ſe habentibus, & calli radicibus penitus extirpatis, tunc ad deperditæ ſubſtantiæ generationem, & ad perfectam ſinus coalitionem deveniendum eſt, quod obtinebitur remediis ad talem operationem naturam coadjuvantibus, ſcilicet, Digeſtivis, & Sarcoticis. Cumque poſt Calli ablationem aliqua adhuc reſtitet fibrarum contorſio, in ſuis plicis detinens alterati ſucci nutritii particulas, aptum erit primis potiſſimum diebus in digeſtivis inſiſtere, quæ crudas, & æterogeneas vicinas materias digerant, & humorum glutinantium affluxum promoveant. Talia erunt, ung. ex thereb. ol. roſarum, farin. tritici, croco, & vitell. ov. factum; Vel ex Baſilico majori, ſyrupo de roſis ſiccis, & ol. Hypericonis. His etenim ſinus perfectè mundifi-

cabi-

cabitur, & ab hiſcentibus orificiis vaſorum ſanguiferorum, debita mediante digeſtione, & immutatione ſymbolicæ, & balſamicę tranſudabunt portiones, quæ novam carnis geneſim affabrè efformabunt.

Tunc Balſamicis inſtandum eſt, in quibus pollent Balſamum Peruvianum, de Copayva, Hartmanni &c. *Thomas Alghiſius* tamen Tractatu de Lithotomia, capite de curanda Urinæ Fiſtula ſummis laudibus extollit Balſamum *Arcæi* ſic ab ipſo *Alghiſio* deſcriptum: ℞. *Gumm. elem. Thereb. venet. aa. unc. i. ſ. Ping. Hirc. unc. ii. Axung. ſuillæ non ſalitæ unc. i. liq. filt. pro uſu.*

Filacei inde Globuli, ex his, aut ſimilibus tincti ſuaviter in Fiſtulam ſunt immittendi, ita tamen ut non in externo foramine ſolùm, ſed uſque ad fundum ſinus pertingant, ubi caro debet ſuccreſcere: Fruſtra etenim ſubſtantia Urethrę deperdita deſideratur, unde ſufficiat, ſi

ad-

adſtans caro vicibus Urethrę fungatur, quæ temporis tractu, & exſiccantibus per Urethram injectis, aut Syringa vermiculari applicatis, ſumma Naturę operantis induſtria, aliqua cicatrice obducitur.

Globuli tamen, nec craſſi, nec denſi ſed molles, & abundanti balſamo turgidi in ſinum ſunt ponendi, ut ex fundo advenienti carni locum cedant, & perfectam ſinus combinationem, mediantibus faſciis conficiendam, permittant.

Prohibeatur aeris frigidioris acceſſus, dum laceratæ fibræ ab ipſo ſemper conſtringuntur, quin etiam a peregrinis particulis, quibus eſt conſpurcatus placida liquidorum circulatio turbatur, ad carnis reproductionem ſummè neceſſaria. Unde ante deligationem, arte fiat calidum Cubiculum per admotum vas carbonibus ignitis repletum, quo mediante Faſciæ, & plumaceoli ſem-

ſemper erunt calefaciendi, & tali modo coadaptandi, ut labia Fiſtulæ accuratè ſibi invicem reſpondeant; Hoc eſt talis inſtituatur ligatura, qua fundus Fiſtulę arctè comprimatur, orificium verò externum laxiori vinculo in plumaceolos dehiſcat, ut ſuperflui omnes ichores in novam carnem non habituri, qui ex coercita mora malam qualitatem inducerent, promptè ſecedant.

Faſciarum magnitudo, Figura, & differentia ad abſolvendum opus neceſſaria, videantur in *Jacobo de Marque traite des Bandages de la Chirurgie.* Illud ſolum monuiſſe operæ pretium duxi, quod labia Fiſtulę mediante ligatura ad perfectam combinationem devincienda ſunt; ſed vitanda eſt arcta nimis deligatio, quæ ſubitam partis inflammationem produceret, ex denegata ſpirituum, & Sanguinis circulatione. Quare moderata, & tolerabilis debet eſſe deligatio, quæ dum ſinus latera ad conta-

ctum

ctum diſponit, lacteorum, & glutinantium humorum affluxum, non intercipiat.

Dum caro ex fundo ſuccreſcit, filacei globuli ſemper ſunt diminuendi, & ſuperponendum eſt aliquod ceratum, de chalcit. de bet. aut de Gratia D. cum vaſta ſpongia regioni Fiſtulę applicata, & vino auſtero ſtyptico, jam deſcripto, madefacta. Quòd ſi Fiſtula ſit in Perinæo multùm proderit ad ſollicitam conſolidationem ſuſpenſio Scroti, & unio Crurum, dum tali ſtatu Fiſtula melius coit.

Generata æqualiter carne, promovenda erit cicatrix ung. de Tut. aut de Plumbo, additis pulveribus exſiccantibus Corall. rub. præ. & ſimilibus, non ſolùm extra, ſed etiam in obturata Urethra, quæ, quàmvis impoſſibilis ſit regenerationis, attamen adnata caro vices Urethræ gerit, & ſufficienti cicatrice obducitur.

Aptum tamen erit etiam poſt conſolida-

id ata mFiſtulam in Syringa vermiculari per aliquot dies inſiſtere, ne Urethra, nova textura induta,à ſalinis Urinę particulis lædatur, ſed,dato aliquo tempore, & remediis epuloticis,naturalem tonum, & conſiſtentiam aquirat.

Plura adhuc ſupereſsent dicenda,ad Fiſtulæ curationem apprimè neceſſaria, quę,ne crambem bis coctam apponam, ab Auctoribus poterunt hauriri. In pręſentiarum ſufficiat, invētum, à nemine, quod ſciam, excogitatum publici juris feciſſe, quod inveteratas quoque Urethrę Fiſtulas facili negotio curabit.

Explicatio Tabulæ I.

MIrum non videatur, ſi præſens Tabula Syringas exhibeat ita diſpoſitas, ut nullam cum Urethra proportionem præſeferant, cum ex præcedentibus abundè pateat nullam ipſis ineſſe flexibilitatis determinationem, ſed in omnes motus eſſe æqualiter pronas.

FIG. I. Oſtendit Syringam vermicularem, cujus dimidia pars à funiculo cerato tegitur.

A *Acus filo ſerico munita, qua latera funiculi perfectè conjunguntur, ita, ut undequaque argenteæ laminæ adhæreant.*

BB *Reliquus funiculus volans.*

CCC *Pars tecta Syringæ.*


DDD *Pars nuda Syringæ.*

E *Foramen inferius aliquantulùm in alam protuberans, ut totalis introitus impediatur.*

FIG. II. Exhibet Syringam undique ſerico funiculo cerato obvolutam, jam-

que

TAB. I



que mediis tabulis in orbem fricatam, dum adeò polita, & lęvigata exſurgit, ut ipſa ſutura oculorum aciem effugiat.

FIG. III. Nuda eſt Syringa à ſola circumgyratione argenteæ laminæ reſultans, nullius tamen uſus in Fiſtularum curatione, niſi cerato velo tegatur. Quandoquidem ſi exilis, dum extrahitur imminet fracturæ metus, ſi ſolida, aut anguſtus nimis Lotio datur exitus, aut propter tenſionem, impoſſibilis eſt tolerantiæ, immò ab utraque per laterales ſtriarum intercapedines Urina tranſudat.

A *Exigua cannula argentea ſummitati Syringæ Mediante igne agglutinata, ſupra quam triplicata circumvolutione fili ſerici Apex funiculi arctè ſatis cogitur, ne actu truſionis Syringa denudetur.*

B *Cannula inferior, ſupra quam pari ratione funiculus deligatur. Vices cannularum gerit duorum, vel trium circulorum laminæ ferruminatio.*

FIG.

FIG. IV.

A *Cylindrus ex candela cerea fabrefactus, ultra Syringam ſemper tennuviori apice protuberans, ut Carunculæ Meatum obſtruentes declinentur.*

B *Idem Cylindrus, qui in calce debet ſemper prominere, ut denuò poſſit retrahi, præcipuè cum Syringa, ſuperatis obſtaculis, ad ſuum penetrationis gradum pervenerit.*

FIG. V. Exhibet Syringam, cujus cannula (C) in ſummo apice argenteæ laminę agglutinata caput habet obtuſum cum foraminibus ad latera, in illis caſibus uſurpandam, ubi Syringa in Veſſicam uſque debet pertingere.

Explicatio Tabulæ II.

INſtrumentum portatile eſt, quo mediante Urina à ſinibus fiſtuloſis defluens recipitur, ubicumque contingant, hoc eſt per totam Urethram, Scrotum, & Perinæum in illis potiſſimùm caſibus uſurpandum, ubi, vel Anni tempus, vel prævia alicujus morbi extirpatio Fiſtulæ curationem retardaverit, aut, ubi aliqua læſio ipſius Sphincteris Veſſicæ contigerit, eò quia indeſinens Urinæ fluxus, abſque voluntatis arbitrio, à ſolo plumaceolorum uſu non poteſt ita cohiberi, quin breviſſimo temporis intervallo nova iterum faſciaſcione opus ſit.

In Magnatibus argento, in reliquis orichalco, & liquato ſtamno perfuſo poterit confici.

AAAA *Duo Ramiculi, qui perpendiculariter ſuper Pubem excurrentes ad Umbilicum uſque debent pertingere.*

B *Conne-*

B *Connexio ad conciliandam firmitudinem.*

CC *Situs ubi tranſit cingulum ad ſubſtinendum pondus Inſtrumenti, quò ad partem anteriorem.*

DD *Cavitas ubi labens Membrum continuò reſidet.*

EEE *Alia profundior, & ſatis ampla cavitas ubi Scrotum decumbit.*

FF *Iufundibulum tribus foraminibus pervium duobus ſcilicet in ſuperiores cavitates hiantibus, & ſubitum Urinæ tranſitum concedentibus.*

G *Tertium foramen, per quod ſtatuto tempore ad libitum Patientis effluit Urina, ſublato exili obturaculo.*


H *Anulus, cui funiculus ſatis latus appenditur, qui ad Ani latera bifurcatus parte poſtica ſupra Renes cingulo firmiter adnectitur, ad ſubſtinendum pondus inſtrumenti, quò ad partem poſteriorem.*

I *Inciſura Cavitates dividens.*

Notandum tamen, quòd ſi foramen

fiſtu-

TAB. II



fiſtuloſum in Perinæo deliteſcat, cavitas Scrotum detinens poterit affabrè in parte poſtica dilungari, ſed graciliori extenſione, ne motus occaſione, Inſtrumentum cum dolore geſtetur.

INDEX
RERUM NOTABILIUM.

A

ÆGri à renovata Candelæ Truſione excandeſcunt pag. 96
Aeris vis noxia 158
Æſtuarium humidum quomodò fiat 62
Arcanum Jo: Fortis in exedendis Carunculis 77
—— Alexii Pedemontani 82
—— Amati Luſitani ibidem
—— Caroli Muſitani ibidem
—— Fabricii Aquapendentis ibidem
—— Franciſci Peccetii ibidem
—— Lacunæ 83
—— Lanfranci 82
—— Roderici à Fonſeca ibidem
—— Sculteti ibidem
Arthritis ſuccedit Febri Quartanæ 8
Auctorum finis, ut Fiſtulæ Urethræ curentur 115

B

Balneum ad emolliendas Carunculas 76
Balneum Fibram emollit 18
Balſamica, quando, & quæ in uſum ponenda 157
Balſamum Arſenici ad Urethræ Fiſtulas 149

C

Caffè ſudantibus convenit 67
Calli occulti quomodò extirpandi 148
Candela craſſiuſcula minori cum dolore geſtatur, & intromittitur 93
Candela extracta, Urina copioſa effluit, quare? 93
Candelæ quomodò inſtruendæ 89

M —— Ut

—— Ut vim inſitam habeant in domandis Carunculis 97
Cannula Aquapendentis ex linteo cerato ad curandas Carunculas nil prodeſt 80
Cannula plumbea in Fiſtulis Urethræ 49
Carunculæ, qua ratione in Glande Penis generentur 3
—— Quibus ſignis cognoſcantur ibidem
—— Cereis candelis explorantur 23
—— Difficilis ſunt extirpationis 70
—— Quomodo in Meatu Urinario generentur 72
—— Sunt extirpandæ ante conſolidationem Fiſtularum Urethræ 73
—— Non violenter irritandæ propter metum inflammationis 75
Carunculas exedens remedium 79
—— Aliud ibidem
Caruncula impenetrabilis curata 89
Carunculæ ut curentur, ſemper Candela debet geſtari 96
Carunculæ ſpatio viginti dierum curatæ 97
Cataplaſma dolores ſedans 151
Catharſis an, dum Sudor agitur, inſtituenda 65
Cauſticis, quando, & quomodo utendum 87
Cauſtico actuali in Urethræ Fiſtula ſumma niſi cum circumſpectione utendum 144
Ceratum Auctoris ad exedendas Carunculas 91
Chordæ nerveæ, quomodo præparentur, ad hoc ut, immiſſis, Canalis amplietur 127
Cibi ſaliti fermentationem in Sanguine inducunt 14
Cicatrix quomodo promovenda 99
Coalitus labiorum Fiſtulæ ab Urina perturbatur 115
Conſultatio Eruditiſſimi Lealis Leali 28
Contuſio Oſſis Sacri 15
Corroſiva in Urethræ Fiſtula, quæ? 146
Curationes Morborum, quandoque in Hyeme ſunt inſtituendæ 30

Deco-

D

Decoctum ad Luis Gallicæ extirpationem 33
Decoctum ſudoriferum tempore Febris non convenit 45
—— Agit in Lympham 62
Digeſtiva ad Fiſtulas Urethræ 156
Diſparitas inter Cannulas, & Syringas Vermiculares 135

E

Exedentia ſecundùm Veteres 14
—— Secundùm Recentiores 149
Exeſis Carunculis, quid agendum 87

F

Fallopii Methodus in exedendis Callis 147
—— In exedendis Carunculis 84
Famis Cauſa 65
Faſciæ quomodo uſurpandæ 159
Febris Gallicæ habitualis diagnoſis 21
—— Lenta eò major, quò minus cognoſcitur 29
—— Depuratoria 44
—— Quomodo Maciem inducat 47
—— Erratica 51
—— Cum Fiſtula quid portendat 108
Fermentatio ſuppuratoria 41
Fiſtula quid 105
Fiſtularum Urethræ origo 106
Fiſtula Urethræ, ſi tortuoſa, ftequentibns inflammationibus ſtipatur 25
Fiſtula Urethræ, ubi exitum ſibi aperiat 106
—— Citò fit calloſa ibidem
—— Si vigeat Gonorrhæa, aut Gallica Lues non fuerit extirpata, difficilis eſt curationis 110
—— Fit ab Urina 114
—— Uſque in præſens difficilis fuerunt curationis 113

Fiſtula aurea, per quam Urina exit 116
Fiſtulo ſæpiſſimè mingunt 135
Franci ci Peccetii modus in præparandis Candelis 95
Frigus in principio Paroxyſmi fodinam febrilem in Glandulis meſeraicis portendit 52
Fulvius Gherli Fiſtulas Urethræ curat cannula plumbea 181
Fundum Fiſtulæ explorandi modus 130

G

Gonorrhæa Ulcera in Urethra producit 4
Gonorrhæa pendet ab alterato partis nutrimento 48

H

Hyperſarcoſis, quæ? 72

I

Inflammatio partis venæ ſectione miteſcit 57
In Hypocauſto quibus cibis utendum 36
Introitus Syringæ quibus mediis paulatim promovendus 127

L

Labia Fiſtulæ, quò duriora, eò difficilioris curationis 111
Ligatura non debet eſſe nimis arcta 159
Linimentum ad Pubis inflammationem 38
Linimentum Hercul. Saxoniæ pro conſumendis Carunculis 78
Linimentum ad Scroti exulcerationem 152
Liquor abſterſivus in Urethram immittendus 98

M

Macies totius quomodo contingat 47

Me-

Methodus Dolæi in curandis Carunculis 78
Mercurialia in curatione Luis non ſemper proſunt 6
Mixtura ex pulveribus lapideis nunquam in Veſſicam eſt immittenda 84
Morbus, ſi negligitur, ingraveſcit 1

N

Nursini incaſsùm curationem tentant Caruncularum 70

O

Obſtructiones viſcerum Naturalium ſunt effectus Febrium. 58
Orgaſmus Partis imminente Suppuratione 107

P

Paroxyſmus febrilis quomodo ſolvatur 22
Petri Galli Arcanum in exedendis Carunculis 85
Petrus de Marchettis Fiſtulas Urethræ ſecat 144
Plumaceoli quomodo diſponendi, ut Fiſtulæ curatio abſolvatur. 155
Pondus Syringæ Vermicularis 126
Præcipitato nil præſtantiùs in exedendis Carunculis 85
Præcipitatum agit ſine dolore 92
Præcipitatum Corrodit, & Cicatricem inducit 86
Puris generatio 42
Pus in cæca cavitate coercitum Febres inducit 52
Pus non à Sanguine, ſed à Chylo 43

Q

Qualis Urinæ exitus latitantem Carunculam portendat 24
Quartanæ Febris Circuitus 7

Ratio,

R

Ratio, cur in Gonorrhæa dolor ad radicem Penis vigeat 4
Requiſita ad perfectum Sudorem 64
Riverii linimentum in curandis Carunculis 79

S

Sala Petrus laudatur 21
Sanguinis Miſſio motum inteſtinum compeſcit 57
Sarcotica 160
Scrotum multis foraminibus pervium 110
Sectio Tumoris Suppuratorii inſtituitur, ne cavitas amplietur 43
Sectio in Urethræ Fiſtula raro inſtituenda 144
Signa exeſi Calli 150
Signa Temperamenti Calidi, & Sicci 60
Signa exeſæ Carunculæ 94
Signa Futuri Paroxyſmi 21
Sinus Fiſtuloſus, quomodo ampliandus 145
Sudor in Hyeme non promovendus 46
Sudor in lecto Doliolis melius quam æſtuario cietur 63
Sudor quomodo promovendus 61
—— Quomodo ſecernatur 66
Suppuratio imminens ſupra Teſticulum 56
Syringa Vermicularis quomodo fiat 118
—— Cur Argentea 120
—— Cujus debeat eſſe magnitudinis 120
—— Quò debet pervenire actu Truſionis 120
—— Ejus uſus in Urinæ ſuppreſſionibus 123
—— Eſt innovanda in Meatu 154
—— Cur facilè toleretur 135
—— Debet eſſe æqualis per totam longitudinem 136
Syringæ Vermicularis experimentum in exedendis Carunculis 125
Syringa Spiralis non prodeſt in curatione Fiſtularum Urethræ 122

Thee

T

Theè Sudantibus convenit 67
Tubus aureus in Urethram immiſſus ardorem tollit 67
Tumoris in Perinæo origo 17
Tumor in Perinæo ſuppuratus 18
Tumor inflammatorius ad ſuppurationem pronus 28
Tumor cæcus nullam cum Fiſtula habens communicationem Febres molitur 108
Tumoris Ædematosi Origo 111

V

Verdura Bartholomæus laudatur 56
Vinum Podagram ciet 9
Vinum Stypticum 151
Vis aeris in promovendis inflammationibus 27
Urethra non patitur corroſiva nimis violenta 153
Urethræ longitudo 89
Urina, ſi ad libitum Patientis exit, ſignum nullius læſionis in Sphinctere 55
Urina quomodo in interſtitia Carnea ſibi viam aperiat 41
Urinæ lacteæ examen 25
Urina per Fiſtulam effluens curationem impedit 132
Urina celeriùs fluit per cannulam, quàm per Urethram 134
Urina per Syringam perfluente, omnes calli ex ſe evaneſcunt 143
Vulnus Sclopeti, à quo Penis traiicitur 132
Vulneraria, quæ? 135
Vulnerariorum vis refellitur 138

COMMERCIUM LITERARIUM
NOVAM METHODUM
COMPROBANS

L E T T E R A
SCRITTA ALL' AUTORE
DALL' ILLUSTRISSIMO SIGNOR
A N T O N I O
VALLISNIERI
Pubblico Primario Profeſſore di Medicina Teorica, e Preſidente nell' Univerſità di Padova.

COn incredibile mio contento ho ricevuto il dottiſſimo libro, e l'ingegnoſiſſimo ordigno da V. S. Illuſtriſs. inviatomi, parto l'uno, e l'altro del ſuo feliciſſimo ingegno, del che glene rendo viviſſime grazie, ed immortali, rallegrandomi ſeco ſteſſa, con la Patria, e con l'Arte Chirurgica, per un invenzione sì nobile, sì utile, sì awantaggioſa. Lodo in oltre la ſua ingenuità in manifeſtare ſubito al pubblico il ſuo ritrovato, lodo la cura con tanta prudenza fatta, le Dottrine nel buon guſto del ſecolo à ſuo luogo eſpoſte, l' erudizione di tanti autori apportata, la latinità propria, ed eſpreſſiva, l'ordine, e in ſomma tutto ciò, ch'è neceſſario per una cura cotanto difficile, ed azzardoſa, per erudire i meno cauti, e per inſegnare agl' indotti un modo ſicuro per ben ridurre al ſuo fine la guarigione di mali, che ſino ad ora ſono ſtati lo ſcandalo dell' Arte, per non dire l'obbrobrio, per riuſcire per lo più, o incurabili, o pericoloſi. Segua intanto, o Illuſtriſſimo Signore, l' incominciata via, attenda a illuſtrare ſempre più un Arte non ſolo utile, ma neceſſaria, e dirò quaſi più neceſſaria della Medicina, eſſendo per lo più la Natura la vera Medicatrice del male de fluidi, come febbri, e ſimili, re-

golata ſovente ſolo da un ottima dieta, e vivendo molti popoli, e molti anche ſenza la medeſima, ma ſenza Chirurgia non può farſi, mentre la Natura ne da ſe ſola tornerà un oſſo al ſuo luogo, ne curerà piaghe di molte ſorti, ne fiſtole, ne carnumi eccedentemente creſciuti, o caruncule, o ſimili, che ricercano l' ajuto de rimedj, e della mano operatrice dell' uomo. Mi dichiaro pure infinitamente obbligato al mio ſtimatiſſimo Signor Mazini, che mi hà dato così bella occaſione di conoſcerla, e di ſeco contraere un' amicizia ſincera, e letteraria, che abbraccio con tutto l' amore, e tutto lo ſpirito, offerendomi pronto a ſervirla in ogni, e qualunque coſa ſi degnerà comandarmi. Mi conſervi in tanto la ſua ſtimatiſſima grazia, e mi creda ſempre con tutta la ſtima, e tutto l' amore

Di V. S. Illuſtriſs.

Padova: 21. Marzo. 1720.

ILLU-

ILLUSTRI, ET EXCELLENTISSIMO DOMINO

FRANCISCO RONCALLI

Medico-Chirurgo Brixienſi
Celeberrimo

S. P. P.

ROSINUS LENTILIUS

Conſiliarius, & Archiater Ducalis
VVirtembergicus.

QUas mihi, ſcriptas die 18. Jan. ac ad me perlatas die 25. Februarii deſtinare dignatus es literas eruditiſſimas, ſumma aviditate legi, iterumque relegi. Gratulor Venerando Seni, Domino Parenti Patrono meo, [quem Deus adhuc diu ſuperſtitem eſſe velit] de tanto Filio, cujus in rem Medico-Chirurgicam meritis, illuſtre nomen ejus, & gloria creſcit, & in ſeros Nepotes feliciter perpetuatur: Gratulor & tibi, cui Deus ingenium ad rei Medico-Chirurgicæ augmentum, & ornamentum clementer largitus eſt vaſtum, atque ad penitiùs inſpicienda naturæ myſteria acommodatum, a quo nos multa adhuc egregia ſperare jubet, vigor ipſius, atque vivacitas, quam diuturnam, omnes, quibus res medica curæ eſt, atque cordi, mecum precantur. Ad rem verò ipſam quod attinet, à tua ſedulitate recens inventum Syringam flexilem, quam tibi vermicularem vocare placuit, attentiſſima mente conſideravi, imò & aliis meis Dominis Collegis (quorum unus Dominus D. Moeglingius venerando tuo Domino Parenti forſan adhuc eſt cognitus) conſiderandam præbui. Penſitatis ritè circumſtantiis omnibus, non poſſumus non, quin calculum album adiiciamus, & libelli ſub prælo ſudantis conſpectum deſideremus. Evolvi libros meos Chirurgicos, veteres juxtim, atque recentiores, quos numero non exiguo poſſideo,

 ſed

ſed nihil horum inveni, imo ne ullius talis inſtrumenti volam, aut veſtigium. Ideo te meritò laus manet inventionis primæ. Verum omnino eſt, quod ſcribis. Conſolidationem Ulcerum, ac abſceſſuum Urethræ, tum, & exeſionem ejus caruncularum (ſive oriantur ab ulcerum callis, vel cicatricibus, uti Brunnero, Dioni, Heiſtero, Sajardo, & aliis placet, ſive aliunde originem ſuam trahant) eò magis impedit, ac moratur affluxus urinæ per ſe acris, & ſalinæ, quò magis experientia nos docet, in ejuſmodi malis plerumque & ipſam urinam eſſe ſolitò acriorem. Particulæ enim medicamentorum balſamicæ ab affluxu urinæ acris proluuntur, & quaſi abraduntur, antequàm coalitum præſtare valeant, vel, ſi cathereticis res peragenda, quorum virtus præcipua in particularum aciditate conſiſtit, cuivis patet, ab urinæ portionum alchalicarum admixtione earum naturam inverti, atque in ſal neutrum mitius, abſumptioni caruncularum minus aptum, permutari. Neceſſarium igitur erat, excogitare medium, unde a contactu talis urinæ partes Urethræ læſæ immunes, atque ſalvæ proſtari poſſent. Accedit & hoc, quod non rarò in praxi plus quàm annorum quadraginta, obſervavi, nempe in ejuſmodi morbis patientes ad ſæpiùs, quam par eſt, reddendam urinam incitari. Non equidem deſunt exempla curatarum, & abſumptarum ejuſmodi caruncularum Methodo recentiori Candelæ cereæ; ſed, quis non videt, quanto temporis impendio! Menſibus enim hìc opus eſt, ubi per dies haud admodum multos ipſa tua Methodo res feliciter perfici poteſt; Ne dicam, de ſumma moleſtia, membri ferè ſemper in rigiditate, ac tentione ſua manere coacti, ſi vulgari curationis tramite incedamus. Unum eſt, quod me adhuc ſuſpenſum tenet; an nempe ſexui fœminino eodem, an alio ipſius genitalibus magis accommodato inſtrumento, quod tibi excogitare facile erit, apud has opus ſit! quamvis, ut verum fatear, in hoc ſexu rariores exiſtant ejuſmodi morbi, quam in maſculino. Age igitur, vir Nobiliſſime, & in publicum mox procede cum iſto tuo tam utili libello: Non dubito, quin univerſi, quos invidiæ peſtis non vexat,

vexat, conatus tuos tam egregios, quos jam jam, uti ſcribis, experientia tua in diverſis ſubjectis confirmavit, ſint approbaturi, tibique, & animi, & corporis perennem incolumitatem apprecaturi, quod ipſe ego, pro tanta tua in me, & ignotum, & immerentem benevolentia tibi obſtrictiſſimum, cordicitus facio, meque ulteriori tuo favori commendo. Ita vale Virorum optimè, remque tuam ex tota animi tui ſententia gere.

Scribo Stuttgardiæ d. 7. Martii A. S. R. MDCCXX.

FRANCISCO RONCALLI
ALTISSIMÆ SPEI JUVENI
Celeberrimo inter Brixienſes
Jatro-Chirurgo.
JOSEPH GRANDI
εὐπράττειν

GRatiſſimæ mihi fuere literæ tuæ non tam Scriptoris novitate, quàm utilitate argumenti, & equidem chariores, quia una ſimul epiſtolam accepi ab utriuſque noſtrûm conjunctiſſimo Domino Benedicto Martiale Carthuſiano Priore, qui à Samuele (1) Libri primi Regum Scriptore vocaretur (2) *Anima cuſtodita in faſciculo viventium*, propterea in ſolitudinem ducta ad fluxilem, & contradictorium fortunæ vultum deridendum, & præſentis ſui conſcia ponderis, & dignitatis aſcetici cum Eccleſiaſtico [3] *loramentum Ædificii* nervoſiùs confirmandum.

Gaudeo ſummopere, mi Franciſce, quod viridi hac tua ætate Hippocraticam laudem ſine aſſentatione, forſitan non ſine invidia, quæ juxta Silium (4)

o! nihil unquam
Creſcere, nec magnas patiens exurgere laudes

fueris conſecutus, quam Libro de Arte, Medicorum Vir ille ſummus expoſuit (5) *Mihi verò invenire aliquid eorum, quæ nondum inventa ſunt, quod ipſum notum, quàm occultum eſſe præſtet, ſcientiæ votum, ac opus eſſe videtur, ſimiliterque ſemimperfecta ad finem perducere, & abſolvere.*

Provinciam ſanè difficilem, & oppidò neceſſariam ſuſcepiſti, nam in practica Chirurgìa multa omittenda forent, ac innovanda non pauca, multique profectò laudandi Chirurgi, & attentiùs introſpiciendi non pauci. Digladiantur quippe inter ſe, ut elapſo, ita, & creſcente hoc ſæculo, turbaſque movent cum Magato, [6] cum Septalio, (7) cum Sennerto, (8)

cum

eum Veſlingio, [9] cum Bellotto, [10] cum Sancaſſano, (11) aliiſque quam plurimis utrùm in Vulnerum curatione, rariùs quàm ut ſoleat, illa debeant importuna Medicatione aeri inobſervantiùs exponi; an mollioribus turundis illorum ora obduci, an durioribus, & refractariis intimos receſſus pulſare, an ſinere diductos parietes obice nullo interpoſito clementiùs connivere, re adhuc infectâ ex diſceptantium diſcordia. *Nam ſi quis rationes ſequi velit, appoſitè ſcriberet Celſus religioſiſſimus linguæ latinæ cuſtos, ut Terentius, & Cicero ab Henrico Petri vocabantur,* (12) *omnium poſſe videri non improbabiles, ſi curationes ab omnibus his egros perductos eſſe ad ſanitatem. Itaque neque diſputationi, neque authoritati cujuſquam fidem derogari oportuiſſe*, nam æqualibus

Obvia ſignis
Signa, pares Aquilas, & pila minantia pilis

e Pharſalicis in Chirurgica Caſtra Lucanum (13) traducerem. Sed fides non eſt Naturæ deroganda, dummodò cautiùs tractetur, & obſervetur diligentiùs, eâdem ſemper manente Naturæ regula, ſubjectâ Mehercule materiâ non ſemper eâdem.

Verùm, mi Franciſce, in rebus Chirurgicis illud plerumque accidit, quod non raró occurrit in phyſicis; dum Pleuritis infeſtat unâ in regione accitâ, ac pluries repetitâ, in altera ſepoſitâ funditus, atque damnata Phlebotomia, imò ſub eodem cœlo oppoſita gliſcit aliquando, ac tumet hæc Methodus Profeſſorum ingenio pugnante, qui practicas flocci-pendunt, ut Lancifii (14) nuper erepti, & Baglivi [15] pro educto non mucoſo, & paluſtri, & in poſterum non educendo cruore neceſſarias animadverſiones, & ſalubria Divini Senis (16) impedimenta in libro de humoribus oraculi ad inſtar paucis expoſita, ni mavis, aureis involuta characteribus. Impedimentum, inquit, *in cruenta ſpuentibus tempus anni, Pleuritis Bilis* ab oculatiſſimo Proſpero Martiano, [17] tamen Saxolenſi, (18) non Romano, viriliter, & nitidiſſimè evoluta, additis doctiſſimi Dureti (19) Phlebotomiæ cautionibus in Corollario. Sed hæc hactenus; redeamus illuc undè divertimus.

Argum en-

Argumentum arduum ſanè præ manibus habes proſperè quidem ad umbilicum perductum, quod multorum inflammavit ingenia, & exercuit Machinamenta. Fiſtulam auream, aut argenteam conſtruit Scultetus (20) ad gallicum dolorem in urinæ tranſitu demulcendum, ne Tubam urinariam nimis inſolenter mordeat, cujus duplici in Tabula, videlicet XVII. & XL. meminit. *Cannulam* ex linteo albâ cera oblinito Hieronymus Fabricius (21) ad delendas in Meatu urinario caruncculas excogitavit, ut in illa, quam volumus canalis prædicti parte, Medicamentum *Cannulæ* ſuperimpoſitum, duobus ſaltem diebus, feliciſſimè adhæreat, ac lotii præterlabentis impetum, & aſperſionem eludat; Ubi obiter vide, ſit vel Typographi Mendum, quod vix crediderim, vel Auctoris lapſum, non ob inſcitiam, ſed ob expreſſionis incuriam, dummodò hujus ſenſum Inſtrumentum ſuum deſcribentis illis præſertim in verbis, *itaut Cannula ſtylum intret*, perperam non fuerim aſſecutus. *Fit cannula* [22], ait, *ex linteo cerâ alba oblinito longitudinis, quantum eſt digitus tranſverſus; latitudinis, ut æquet argenteam Fiſtulam uſurpandam, quæ filum longum habeat appenſum, hæc in extremitate ſtyli argentei, qui ingrediatur Fiſtulam argenteam, aptatur, itaut Cannula Stylum intret &c.* Ut poſſibile eſt ſtylum cannulam ingredi, ita cannulâ ſtylum corporari, ſive cannulam impervium ſtyli corpus ſubire eſt impoſſibile, figuris munus proprium, & oppoſitum abundè monſtrantibus, ni ſtyli corpus apertum foret, & patens, quod ab Auctore nequaquam exprimitur.

Septem circiter menſes ſunt, cum quidam Joannes Brun Gallus *in aere noſtro eſt*, ut inquit Cicero, dum hæc ſcribo, aliò migraſſe mihi nunciatum eſt, qui inſtrumenta quædam ad emendandas urinarii itineris labes cum Ruffo Epheſio (23) ſecum attulit, & præcipuè Catheterem, ſive Fiſtulam quamdam à tua *Vermiculari* Syringa non longè diſtantem. Argentea lamina, ſive bractea ſpiraliter ducta conſpicitur ſingulis in dimenſionibus ſuis ad vulgarem Catheterem accedens, quæ tam concinnâ, & exquiſitâ revolutione conjungitur, ut nihil elegantius, vel elaborari

queat,

queat, vel intueri. Concinnitas autem jucunda aſpectu eſt teſte noſtro Præceptore. [24] Annulus annulum, an ſatiùs dixeris, quòd oſculetur, quam ſubeat ignoro, adhærere potiùs putes, quàm recipi, tàm mirâ lævitate, dulcique marginis aſcenſione inter ſe imbricantur, ut mendoſam ſuturam imitentur, ac totum Syringæ corpus inciſam entomatum cutim ſpirantiſſimè repræſentet. Machina tota ductilis, & ſeguax eſt, corripitur, torquetur, producitur, levis, æqualis, fibroſa. Hæc in lotii canalem ſedula manus dexteritate paulatim admittitur, donec abſconditam in Carunculam offendat, illicò brevem, & paratam fiſtulam ſuſcipit longitudine ſemidigitum, craſſitie ſpecillum, vel lyræ nervum non excedentem, cujus ab ora breve pendet filum, cujus ab ore antea leniter intruſum urbanâ quaſi proboſcide, & diſcreta petulantia, vel ut de Chamæleonte Tertullianus (25) *capitulum ſtatim e dorſo* proſilit medicamentum, deindè vacuum per Syringæ corpus illam tam altè urget, donec deſtruendam carunculam attingat, tum demum remotâ pedetentim Syringa Fiſtula in apice medicata remanet, quam cum retrahere Chirurgus aut cupiat, aut velit filum e Glandis foramine deciduum arripit, ac illam educit.

Eodem prorſus ordine, & Collyria, & liquores in Veſicæ injicit cavitatem, nam altiùs inducta plicatili Syringa, donec urinilegæ Lacunæ fores aperiat, tunc per Siphunculum illam pervadentem in Veſicæ receſſus medicamentum impellit. Iſidem & lotionalis tubuli minutos abſceſſus, quos φύματα Græci apellant, ut Celſus (26) eſt auctor, & reliqua hujus urinæ ductus infortunia hoc venuſto, & mechanico auxilio debellat.

Nihilominùs, ut dicam quod ſuper hac re ſentiam candidè *ſine ira, & ſtudio, quorum cauſas procul habeo* cum Tacito (27) Methodus Fabriciana, ſi non officit, ſaltem non proficit, quia præterfluente à liquore, quicumque ſit ille, *Cannula* molleſcit, & officio ſuo criſpando non fungitur, & cum columella [28] *laborem fruſtratur*. Scultetina Fiſtula ſi canalem non diſtrahit, profectò illi non blanditur, neque ſalinos

linos urinæ dentes funditus evertit, Brunina caſtigatior eſt, & formoſior cœteris, præter tuam, quæ in hunc uſque diem in emporio chirurgico principem locum tenuere; Veruntamen urina non integrè per manufactum canalem efluit, ac inter hunc, & Urethræ parietes ſerpendo ſubtermeat, ut de occulto Syderum curſu, & nobis inviſo naturæ Interpres (29) eſt faſſus. Prima non juvat, altera claudicat, poſtrema non marginat.

Elegantiſſimum inſtrumentum tuum hoc ſingularis habet commodi, quod & medicamina nullo fœdata rore e foraminibus, vel Cowperianis, (30) vel Ferraneis, (31) vel Morgagninis [32] expreſſo, aut cum extraneo corpore in itinere fœderata, ſed pura, & illimia, morbidæque parti affixa, nec à lotii præterlabentis ſedulitate, nec à muſculoſis circumſtantibus columnis, pro diverſa motuum tendentia, & impetu valeant dimoveri.

Inſuper Canalis metallicus in membranaceum urinæ Canalem immiſſus velut ſolidum dulciſſimè pugnat in ſolidum, abſque eo quod vel irritet, vel lædat, vel urinæ deſcenſus inflectat, aut ſupprimat declinato illuſtri illo, & obvio remedii vel adhibendi, vel adhibiti metu Ægrotantium ſæpè pediſſequo, & Ægritudinibus ſæpè majore.

Ad hæc profectò, & innumera alia beneficia ſingularis, & novus accedit modus, quo Vermicularis Syringa à Te reperta inter unum, & alterum, ſive Annulum, ſive inciſuram ob involucrum cera oblitum, & dulci veluti cruſtâ perſonatum illam circumquaque apprimè contegens non oſcitat, ut in cœteris evenit, à morboſæ, ac inæqualis Urethræ carunculis, quæ viam aſperant, & ſalebroſam efficiunt. Qua de re compreſſa diverſimodè à ductus ruſticitate Syringa aperitur, & hiat, ac criminoſa urinæ ſtillicidia confirmat. In tua etiam ſi impari pede ob canalem non levem, & æqualem à lotio deſcendente comprimatur, etiam ſi invita dehiſcat, fruſtra dehiſcet, quia vagina Syringam obducens lateralem egreſſum urinæ prorſus adimit, & quamcumque dolentem, & doloſam lacrymationem coercet.

Quid

Quid multis ; opuſculum tuum quod nuperrimè legi, & mox avidiùs relegi, & non ſemel, atque iterum ſum admiratus, quà chirurgicâ eruditione amiĉtum, quà philoſophico nervo vallatum, tum practicis ditatum luminibus, tum prudentiſſimis, quod in Medico caput eſt, obſervationibus, Scholiis, & præceptis aſperſum ultra ætatem loquitur, non ultra mentem, & oppoſitionum tela baſilicè infringit, tenſoſque oppoſitorum arcus urbanè relaxat, nam, dum facta, & experientia de turba, & præjudiciis vocem extollunt, argumenta rigidiora molleſcunt, & metaphyſica lenitur aſperitas. Habet enim liber tuus *aliquid quod doceat*, *quod placeat*, *quod juvet*, *quodve de multis admoneat*, ut in Epiſtola ſua dedicatoria Theognidis Poetæ ſententiis præfixa Plinii textum commentabatur, vel tuam exercitationem Medico-Chirurgicam CLX. ab hinc annis commendabat Michael Neander (33) Soravienſis.

Sicuti Chirurgos inter, ac Medicos, inter Anatomicos, & Botanicos multi emicuere, qui remedii, & operationibus, organis, & ſimplicibus ab ipſis inventis patronymica indidere nomina, ut cuilibet obvium eſt, ita & tu, mi Franciſce, tuum eriges Inſtrumentum in æternam Auctoris, & operis commendationem imò, ut in gnomis Elegiacis Megarenſis Poeta Theognides (34) de Cyrno amico ſuo cecinit

οὐδὲ ποτ' οὐδὲ θανὼν ἀπλεῖς κλέος, οὐδέγε λήσεις
ἄφθιτον ἀνθρώποις αἰὼν ἔχων ὄνομα
Κύρνε idest

Non inquam neque mortuus perdis gloriam, neque etiam latebis, Immarceſcibile ſemper hominibus habens nomen Cyrne.

Macte animo majora, & palladi tuæ paria meditare, atque, ut hæc, utilia. Clariſſimum Parentem tuum Virum in Jatro-Chirurgia ultra Cenomanos etiam nomine pariter, atque Doctrina notiſſimum meo nomine ſalvere jube, & Cœlum Te ad maxima natum diu ſoſpitet. Mihi quæſo, ignoſce in reſpondendo heu ! quàm tardigrado (35) Pacuvianæ Teſtudini non diſimili ; Non otia, ſed Medica negotia, & inconſtans valetudo culpanda ſunt. Vale nec

cœpti

cœpti Te pigeat, ac ſcias, quod Hiſtoriæ Romanæ (36) Princeps docuit : *non enim ſatis feliciter ſolent procedere, quæ oculis agas alienis*, quoniam in Chirurgia præſertim *oculis autem magis credere opportet*, *quàm opinionibus*, admonitione tam nobili hanc jejunam Epiſtolam claudit Hippocrates (37) & Θεος σοζετω σε ideſt

Deus te ſervet

Dabam Venetiis XXII. Maii MDCCXX.

[1] P. Cornel. à Lapid. in argument. lib. 1. Reg. lit. A. pag. 161. [2] in eod. lib. Cap. 25. verſ. 29 lit. D cum Cornel. ut ſup. pag. 266. (3) Eccleſiaſtic. Cap. 22. verſ. 19. lit. D pag. 369. cum Cornel. (4) Silius lib. 17. de Bello Punic. (5) Hippocrat. num. 1. pag. 1. (6) Cœſar Magatus de rar. Vuln. curat. (7) Lodovicus Septal. lib. 8. animadverſion. Medicar. (8) Daniel Sennertus Pract. lib. 5. Part. 4. Cap. 9. Tom. 9. pag. 509. (9) Veſlingius in Epiſt. ad Sennert. vid. Giornal. de letterat. D'Ital. Tom. 5. Artic. 7. pag. 135. (10) Bellot. ut ſupra. (11) Sancaſſan. ut ſupra pag. 131. & ſequent. & Tom. 15. ejuſdem Diarii art. 14. pag. 336. [12] Henric. Petr. in dictionar ling. lat. ad verb. fr. (13) Lucanus libr. 1. pag. 1. (14) (15) Lanciſ. cum Bagliv. Prax. med. l. 1. ſs. de Pleurit. pag. 56. [16] Hipp. n. 9. pag. 56. (17) Martian. verſ. 198. Marinel. num. 9. pag. 123. (18) idem pag. 1. (19) Duret. in libr. 2. Coac. Hipp. pag. 387. 20. & 30. [20] Scultet. in Armament. Chirurg. fig. 8. pag. 26. & fig. 5. pag. 93. (21) (22) Fabric. ab Aqu. pendent. Part. 1. operat. Chirurg. cap. 67. pag. 241. (23) Ruff. Epheſ. de corpor. human. part. appellat. lib. 1. cap. 12. litt. D pag. 8. (24) Hipp. Chir. Officin. num. 3. pag. 185. (25) Tertul. de Pall. pag. 4. cap. 3. (26) Celſ. lib. 2. Cap. 8. verſ. 10. pag. 75 (27) Cornel. Tacit. Annal. lib. 1. pag. 6. cum not. Pich. (28) Columel. in Præfat. lib. 1. [29] Plin. Nat. Hiſtor. lib. 2. Cap. 97. pag. 37. a (30) Cowper. in Philoſoph. Tranſact. anno 1699. Act. Erud. Lipſ. ann, 1700 (31) Laurentius Ferr. de Glandul. univerſ. & ſpeciat. ad Urethr. Viril. novis cap. 3. pag. 90. (32) Morgagn. in adverſ. Anatom. primis pag. 4. & 5. (33) Neand. pag. 9. (34) pag. 63. cum Neand. [35] Verſiculus Pacuvii de i etiud. cujuſmodi tres à Ciceron. referuntur cum Rhe. in Tertull. lib. de ſal. in not. pag. 3. (36) T. Livius ex Neandr. in Annot. in Phoſylid. Carm. pag. 94. (37) Hipp. lib. 1. de Diæta num. 5. pag. 42.